NAZIONALE
VITT. EMANUELE
12
1 K
5

12
16
C
31

Google

Digitized by Google

SCRIPTORES
REI RUSTICÆ
VETERES LATINI

EX RECENSIONE

JO. MATTHIÆ GESNERI

Cum Notis selectioribus.

TOMUS V.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

VENETIIS MDCCLXXXIV.
Apud Thomam Bettinelli

Cum Facultate ac Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI S.

DUÆ præsertim rationes nonnihil & huic postremo Rei Rusticæ Scriptorum volumini præfari nos cogunt. Harum altera est, ut veluti longo quodam ac molesto itinere defessi, cum metam tandem aspicimus, tecum, Candide Lector, animi voluptatem, quam capimus maximam, liberaliter communicemus: altera vero, ut cujus præcipue ope adjuti id oneris sustinere potuimus, ingenue profiteamur. Nimirum vir Cl. Joannes Baptista Billesimus Feltriensis, magni nominis Jurisconsultus & Theologus, nec non inter bene paucos omnigena ornatus eruditione, Gymnasii Patavini Professor Emeritus, apud Venetum denique Senatum eodem, quo jam Paulus Sarpius, munere fungens, summoque existimationis loco habitus, tum consilio, tum libris nobis affuit, atque Editionem inprimis Gesneriano-Ernestinam, ex qua hanc nostram descripsimus, ad annum fere integrum commodavit, ac reipublicæ literariæ bono ma-

Digitized by Google

le etiam aliquantulum verſari haud ægre paſſus eſt: ſapiens enim librorum cuſtos, qui illos ad legendum paret, eo morbo neutiquam urgetur, quem Græci aptiſſime βιβλιομανίαν appellaſſent. Quod propter ſingulare beneficium, idque genus alia, quæ in me virum humaniſſimum vel deinceps collaturum eſſe confido, etſi jugiter habebo, nunquam tamen pro merito gratiam rependere valeam. Verum de Auctoribus, qui hoc tomo comprehenduntur, ſtrictim verba faciamus. De Renati Vegetii perſona nihil aliud habemus dicere, præter quam, teſte J. A. Fabricio, Bibl. Lat. lib. III. Cap. XIII, ab illo alter eſt, qui ſcripſit *Epitomen Inſtitutorum rei militaris* ad Valentinianum II Auguſtum. At Gargilius Martialis quis fuerit, & quo tempore vixerit, docet Lampridius in Alexandro Severo c. 37, qui *ejus temporis ſcriptorem* vocat, Vopiſcus autem in Probo c. 2 inter Suetonium Tranquillum & Julium Capitolinum collocat. Incidit igitur ætas ipſius in ſæculum III a nato Chriſto. Scripſit iſte 1. *Hiſtoriam Auguſtam*, *non tam diſerte*, *quam vere*, ut idem ait Vopiſcus l. c. 2. *De hortis*, *pulcherrime*, ſi credimus Caſſiodoro Divin. Inſtit. cap. 28; & Palladius duodecies ad

ipsum provocat. 3. *De re veterinaria*, cujus operis fragmentum, quod unum adhuc superest, primus edidit ex Codice bibliothecæ Lugduno-Batavæ cel. Schoettgenius. Hoc mirifice corruptum apparet: nam omnia descripta, prout in MS. leguntur, ita a Gesnero sunt profecta, cum vitiis etiam aperte falsis, ut eruditi, si qui erunt illo feliciores patientioresve, ex antiquæ lectionis vestigiis emendare queant. Porro Vegetii exemplum, quo Gesnerus usus est, cum Corbejensi Codice, omnium probatissimo, collatum fuit. Hos quidem libros ut Scriptoribus Rei Rusticæ Germanus Editor comites daret, quod ante se a nemine factum est, illud impulit, quod videbat non materiam tantum nostris cognatam esse, sed etiam insignem Columellæ locum apud eundem quoque legi, unde mutuam sibi lucem utrumque scriptorem afferre debere arbitrabatur. Accedebat, quod vir doctissimus iis copiis erat instructus, quibus quam pluribus locis emendatiorem Vegetium reddi posse animadvertebat. Cæterum notas quam paucissimas, ipsissimisque ferme Gesneri verbis, huic auctori nos attexuimus: quandoquidem parum inde emolumenti, si modo philosophicum medicorum physicorumque

Digitized by Google

stilum excipias, latini sermonis elegantia capere posse videbatur. Præterea mulomedici nostri, qui antiqua doctrina plerumque vacant, uberiora & longe meliora in neotericis invenient. His itaque tricis demum expediti, divinæ Æneidi manum alacriores nunc admovebimus; ac postea a Marone fortasse ad Plinium industriam diligentiamque nostram convertemus. Interim tu, Candide Lector, ingenii quantulicumque conatibus fave, ut soles, & vale.

Dabam Venetiis Idibus Juliis anni MDCCLXXXIV.

Digitized by Google

VEGETII RENATI
ARTIS VETERINARIÆ
SIVE
MULOMEDICINÆ
LIBRI QUATUOR.

Digitized by Google

VEGETII RENATI

ARTIS VETERINARIÆ

SIVE

MULOMEDICINÆ

LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM.

I. *Quibus signis ægritudo animalium cognoscatur.* II. *Quot sint genera morborum.* III. *Signa morbi humidi.* IV. *Signa morbi aridi.* V. *Signa morbi subtercutanei.* VI. *Signa morbi articularis.* VII. *Signa morbi farciminosi.* VIII. *Signa morbi subrenalis.* IX. *Signa morbi elephantiasis.* X. *Cura morbi humidi.* XI. *Cura morbi aridi.* XII. *Cura morbi subtercutanei.* XIII. *Cura morbi articularis.* XIV. *Cura morbi farciminosi.* XV. *Cura morbi subrenalis.* XVI. *Cura morbi elephantiasis.* XVII. *Causæ & curæ generales morbi malei.* XVIII. Po-

Digitized by Google

tio anniversaria physica. XIX. Compositio suffimentorum contra morbum maleum. XX. Alia compositio suffimentorum vehementior, ad lustranda animalia, quæ & fascinum tollit. XXI. De ratione flebotomi. XXII. Quæ diligentia adhibeatur in sanguinis detractione. XXIII. Castrata animalia non deplenda. XXIV. Admissum facientes non deplendos. XXV. In quibus passionibus & ex quibus locis sanguis sit auferendus. XXVI. De his quibus sanguis in ungulam tollitur. Alias. Qui ungulam cogunt, vel ejecerint, quomodo sanguis tollatur. XXVII. De epistomicis, vulsis, colicis, strophosis, & qui morbo subrenali tenentur; unde sanguis tollendus sit. XXVIII. De ratione foci atque cauterii. XXIX. De passione & curis febrium. XXX. De lassitudine, quæ videtur febribus similis. XXXI. De febribus internis. XXXII. Si in autumno febrierit. XXXIII. Si æstate febriat. XXXIV. Si hieme febriat. XXXV. Si ab indigestione febriat, vel pletura. XXXVI. Si ex vulnere oris aut faucium febriat. XXXVII. De coactionibus i. e. de nimia lassitudine. XXXVIII. Quæ genera ægritudinum ex coactione nascantur. XXXIX. De diversis passionibus ventris. XL. De aqualiculo i. e. stomacho. XLI. De colo & coli dolore. XLII. Cura longanonis & ilei. XLIII. Causæ & curæ strophi. XLIV. De lumbricis, cossis, tineis & pediculis.

XLV. De clystheriis ad curam lumbricorum & tinearum. XLVI. De calculosis jumentis. XLVII. De emphragma. XLVIII. De ileo. XLIX. De dolore ventris. L. De dolore coli. LI. De dolore vesicæ. LII. Cossi & lumbrici qua cura tollantur ad manum. LIII. De syncopatis & confixis. LIV. De his qui sanguinem per nares emittunt. LV. De infestatione sanguinis. LVI. Quæ adhibenda est diligentia ut animalia sana perdurent. LVII. Potio æstiva. LVIII. Potio hiemalis. LIX. Potio in autumno & vere præbenda. LX. Potio omni tempore necessaria. LXI. De difficultate urinæ. LXII. De Stropho. LXIII. De dorso curando. LXIV. De potione probatissima Diapente.

PRÆFATIO.

MULOMEDICINÆ apud Græcos Latinosque auctores non fuit cura postrema. Sicut enim animalia post hominem, ita ars veterina[a] post medicinam secunda est. In equis enim ac mulis & adjumenta belli & pacis ornamenta consistunt. Sed quo- 2
niam[b] minus dignitatis videbatur habere professio, quæ pecudum promittebat medelam; ideo[c] minus splendidis exercitata, minus eloquentibus collata do-

a) veterinaria C. m. S. b) quo C. c) a *inr.* S. *mox* minusque.

Digitized by Google

cetur in libros. Licet proxima ætate & Pelagonio non defuerit, & Columellæ abundaverit dicendi fa-
3 cultas: verum alter eorum cum rusticæ præcepta conscriberet, curas animalium levi admonitione perstrinxit : alter omissis signis causisque morborum tam magnæ rei fundamenta neglexit. Chiron vero & Absirtus, diligentius cuncta rimati, eloquentiæ
4 inopia ac sermonis ipsius vilitate sordescunt. Præterea indigesta & confusa sunt omnia, ut partem aliquam curationis quærenti necesse sit errare per titulos, cum eisdem passionibus alia remedia in ca-
5 pite, alia inveniantur in fine. Additur etiam, quod studio lucri quædam ita sunt compositæ potiones, ut pretium enorme contineant, & curæ taxatio animalis æstimationem prope videatur æquare: ut plerumque aut parci homines, aut certe prudentes, animalia sua canibus dedant, aut [a] a damnosa cura-
6 tione dissimulent. His & talibus rationibus invitatus, cum ab initio ætatis alendorum equorum studio flagrarem, hanc operam non invitus arripui, ut conductis in unum Latinis duntaxat auctoribus universis, adhibitis etiam mulomedicis, & medicis non omissis (nam mulomedicinæ doctrina ab arte medicinæ non adeo in multis [b] discrepat, sed in multis plurimisque consentit) in quantum mediocritas

a) *Rectum videtur* & damnosam curationem. b) plerisque C.

Digitized by Google

ingenii patitur, plene ac breviter omnia epitome[a]
congererem. Nam si laus prima medicorum est, ge- 7
nus ægritudinis in homine reperire, qui passionem
suam & manu potest & voce signare[b], quanto ma-
gis in mulomedicina necessarium creditur genus
ægritudinis nosse, cum mutum sit[c] animal & non
possit proprium indicare languorem, & ab impe-
ritis ad opus aliquod laboremque cogatur, gemi-
numque subeat ex morbo & fatigatione discrimen;
aut certe neglectum inveterata ægritudine nequeat
sero curari. Sic Mantuanus poeta divino ore testa- 8
tur: *Morborum quoque te causas & signa docebo.*
Absque dubio autem omnis cura vacabit[d], si genus
passionis ignoretur. Ex inani persuasione illud ge- 9
neratur incommodum, ut honestissimus quisque eru-
bescendum ac vile credat jumentorum nosse medi-
cinam. Primum nullius rei scientia vilis est. Nam
cum[e] humanæ vitæ conversatione aliud fugiendum[f],
aliud vero sequendum[f]; non est perfecta peritia[g],
nisi quæ[h] utraque cognoverit. Deinde, quis æstimet 10
erubescendum talem peritiam, quæ damna submo-
veat? Nam sicut incolumitas jumentorum habet lu-
crum, ita eorum interitus afferre videtur incommo-

a) epitomæ digerere & signa morborum omnium declarare C.
b) significare S. c) mutum animal proprium non possit C. *recte*. d) nutavit C. *forte* nutabit; vacabit *forte ortum e glossa* vacillabit. e) in *ins.* C. & S. f) sit *ins.* C. S.
g) sapientia C. h) qui utrumque C. *qui ab hac voce deficit usque ad* 1, 12, 1. utroque cognito S.

Digitized by Google

dum: præsertim cum mancipia, quorum plebeja curatio non putatur sæpe vilioribus pretiis, quam equi
11 vendantur aut muli. Postremo [a] sive ad vehendos locupletes aptos, sive in circi contentione victores, sive in præliis (ut ita dixerim) probatissimos bellatores, acerrimum studium amoremque constat habere dominorum. Nec immerito voluptati natum animal aut saluti, gratiam meretur ab homine.
12 Quis autem nosse curas jumentorum erubescendum putet, cum optima jumenta habere gloriosum sit? Quis vituperationi det id posse curare, quod laudi
13 ducitur possidere? Forsan ipsa opera mulomedicorum videtur abjectior, notitia autem curationis non solum honestissimis, sed etiam disertissimis convenit, ut provisione & ordinatione sollerti curatis animalibus, & damnis careant, & voluptatibus per-
14 fruantur. Sed alii morbi sunt, qui ea tantum animalia, quæ occupaverunt, vexant: alii etiam [b] ab uno vel paucioribus, quæ pereunt, in plura, quæ pariter stabulantur vel aluntur, in totos sæpius greges sævissima contagione transmigrant, ut quamvis sanum animal intra breve tempus, alienæ ægritudi-
15 nis afflante vicinia, repente depereat. Rectius est ergo eorum prius morborum & signa & causas præ-

a) circa equos *ins.* S. *mox* esse *pro* habere. b) licet ab uno S. *& in margine*, licet ab uno cœperit, in plures, qui pariter in eodem stabulo aluntur &c.

dicere, curasque monstrare, qui quodam transitu pluribus nocent: nam adversus majora dispendia majorem sollicitudinem oportet impendi. Prima igitur 16
jumentorum utilitas est domini, vel procuratoris, vel pastoris ipsius amor atque diligentia. COMES enim semper est affectionis industria: & incolumia[a] cupimus, quæcunque diligimus. Domita animalia aut præsepibus aluntur, aut pastu: indomita latioribus nutriuntur in saltibus. Quotidie ergo vel frequentissime speculari convenit habitum jumentorum: nam diligentibus morbus ipse se prodit.

Quibus signis ægritudo animalium cognoscatur.

CAP. I. Continuo animal, quod valetudo tentaverit, tristius[b] invenitur, aut pigrius, nec consueto utitur somno, nec solito se more transvolvit, nec requiem ut assumat accumbit, nec deputatum cibum assumit ex integro: &[c] potum aut intemperan- 2
tius accipit, aut omnino fastidit, stupentibus oculis, auribus flaccidis, erecto visu, turpi pilo: exhausta sunt ilia, fit spina rigidior, anhelitus crebrior aut gravior, os asperum & solito ferventius, tussis aliquando lenis, aut gravior, incessus ipse, quo maxime notatur, segnis ac nutans. Cum hujusmodi si- 3

a) semper *ins.* S. b) mœstius ingreditur S. c) potum autem — appetit S.

Digitized by Google

gna in jumento unum vel plura conspexeris, statim illud separabis a cæteris, ut contagionem non inferat proximis, & facilius in solo jam causa
4 morbi possit agnosci. Si diligenter habitum, post unam, secundam, vel tertiam diem ab illa mœstitia fuerit absolutum, nihilque resederit in corpore ipsius, quod putetur ambiguum, scito ex levioribus causis illam venisse tristitiam, & animal consuetu-
5 dini pristinæ esse reddendum. Nec explorandi omittatur intentio: nam frequentius inspici debet & cautius, quod semel cœpit esse suspectum.

Quot sint genera morborum.

II. Morborum quidem diversæ sunt passiones[a], sed uno generali vocabulo continentur, quod ab antiquis malleus nominatum est, ipsa appellatione vim
2 cladis periculumque testantes. Sunt autem species mallei numero septem: humidus, aridus, subtercutaneus, articularis, elephantiasis, subrenalis, farciminosus. Signa omnium dicamus.

Signa morbi humidi.

III. Humidus morbus est, cui de naribus pro mucis humor defluit male olens, & spissus, colore pallido. Hujus gravatur[b] caput, oculi lachrymantur,

a) species S. b) habet gravatum S. M.

Digitized by Google

& stridet pectus, fit gracilis horrentibus pilis, tristis aspectu: quem profluvium atticum [a] veteres vocaverunt. Quandocunque [b] autem sanguinolentus humor vel croco similis per nares fluere cœperit, jam insanabilis est & vicinus morti.

Signa morbi aridi.

IV. Aridus autem morbus his agnoscitur signis. Nullus ei per nares supra solitum humor emanat; suspirat tamen graviter, & nares habet extensas: ilia curvabit intrinsecus, & contractionem spinæ duritiamque patietur: testiculi ejus ita substringuntur, ut apparere vix possint: cibi parcior, bibendi appetentior ultra morem: propter quod pulmone siccato, internum patitur ardorem: tensis oculis in obliquum respicit, nec [c] facile cubet [d]. Hunc [e] suspirium vocant & insanabilem, nisi ab initio festina curatione subveneris.

Signa morbi subtercutanei.

V. Subtercutaneus morbus autem his proditur signis. Vulnera [f] in corpore ejus scabiei similia nascuntur, ex quibus humor effluit liquidus & viridis, qui pruriginem movet, ut scalpere parietibus vel

a) atrum S. vid. 17, 18. b) Cuicunque S. M. c) hoc facile curabitur S. M. d) cacabit F. & S. M. e) Habens suspirium notat insanabile. f) Ulcera S. M. *rectius*.

columnis animalia sæpe fricare compellat, quo ulcera corticem ducent[a]. Huic nec humor per nares emanat, nec anhelat, nec cibum recusat, nec respuit potum: propter quod diu vivit. Et ideo si cura non desit, ex hoc plurima jumenta liberantur.

2 Quidam vero scabiem subtercutaneum morbum dicere tentaverunt, quod similia supradictis signis videatur ostendere, & contagionem transferre per proximos, & tardius sanari. Sed quia nec necem, nec gregi infert facile periculum, a pestiferi illius mallei societate discretus est, & seorsum ab illa dicetur.

Signa morbi articularis.

VI. Articularis autem morbus, quem ἀρθρίτιν[b] Græci vocant, per hæc monstratur indicia. Interdum paucis, interdum plurimis diebus ab articulis claudicabit, ut aut ictu calcis animalis alterius percussus, aut negligentia impactus, aut saxo vel fuste videatur elisus. Sed hæc solet esse distantia, ut illa quælibet læsio loco figatur, hæc autem passio, quia erratica est, subito ad pedem alterum migrat. Præterea ossibus astringitur cutis, & ad ta-
2 ctum tractanti dura resistit. Rigescit spina, corpusque contrahitur, pilus[c] erectus & horridus, ac de-

a) durant S. M. b) ἀρθρίδιν F. *Debebat* ἀρθρίτιδα.
c) pilis erectis & horridis S. M.

formis aspectus, macie corpus affectum: & quamvis non recuset alimenta, nec curat si desint: indies tamen deterior fit & tristior, difficulterque[a] curatur.

Signa morbi farciminosi.

VII. Farciminosum vocabulum ex genere passionis evenit. Hujusmodi deprehenditur argumento. In lateribus & in coxis, & in verendis quoque partibus, & præcipue in juncturis membrorum, vel in toto corpore, collectiones inflantur: rursumque his velut sedatis, aliæ renascuntur: cibum potumque ex more recipiunt, macrescunt tamen, quia digestio eis plena non provenit: hilares aspectu sanisque si- 2
miles creduntur ab indoctis artis mulomedicinæ, quia exterius agitur causa: quibus imperitia artificum sanguinem festinat auferre. Sed contraria ista curatio est: nam affectis farcimino, quidquid superest virium, tollit[b]. In initio tamen, ne morbus increscat, vel in fine, cum jam vires redire cœperint, emissio sanguinis juvat.

Signa morbi subrenalis.

VIII. Subrenalis morbus non minus nomine, quam ipsa passione monstratur. Nam animal, velut

a) laborioseque S. M. b) tollitur S.

renibus læsis, a posteriori parte deficiens, prodit mortiferæ necessitatis indicium: tussiet graviter, horrebit aspectu: cutis duritia ex spinæ rigore proditur: parcius potum, parcius adpetit cibum. Huic quia tota vis morbi possidet lumbos, a femoribus incipit prima curatio.

Signa morbi elephantiasis.

IX. Elephantiasis autem dicitur ex similitudine
elephantis, cujus naturaliter pellis dura & aspera,
morbo nomen, & in homiuibus, & in animalibus
2 dedit. Cujus signa hæc sunt. In toto corpore ure-
do nascitur, præcipue in dorso, squamas similes
corticibus facit. In naribus, in pedibus etiam & in
capite, papularum fervor emergit, vel ozœnæ aspe-
3 riores frequenter oriuntur. Priusquam hæc osten-
dantur indicia, ventre soluto erit, & marcescit [a],
& aspere tussiet. Cujus os totum cum lingua aspe-
rum & simile creditur esse combusto: quæ passio
pullis a matre depulsis plerumque perniciem con-
4 suevit inferre. Hunc diligenter curare cupientes,
non ante deforis aliquo medicamento fovere conten-
dunt, nisi prius, potionibus datis, pestis [b] elevetur
interior. Nam extrinsecus cepta [c] medicamenta mor-
bum non eximunt, sed ad interiora compellunt, &

a) *corr.* marcescet Gesn. b) pus evellatur interius S. M.
c) *Forte* cœpta, *an* capta? Gesn.

hac ratione periculum generant. In animalibus, 5
ejusmodi morbo laborantibus, generalia ista sunt vitia: tussis aspera & crebra suspiria, spina contracta & rigida; macies semper increscens, cum studium & alimenta non desinant[a], demissior cervix, stupentes oculi, tardior incessus. Nunc signis omnibus ge- 6
neraliter singulariterque digestis, singulorum morborum speciales propriasque curas oportet adjungere. Post[b] hæc de generali minutione singulorum, & adustione docens, concludam librum primum.

Cura morbi humidi.

X. Malleus morbus si humidus fuerit, ita ut per utramque narem virides defluant muci, inter exordia caput ejus adhibita curatione purgandum est ita: Olei optimi uncias 3, liquaminis floris unciam 1, vini veteris cyathos 3, sereno tranquilloque die pariter commisces[c], & cum tepefeceris, infundes in
naribus: caput religabis ad pedes, sensimque jumen- 2
tum impeditum compelles incedere, ut omnis humor emanet: (ad siphonem autem paulatim infundes[d] non
semel a cornu). Quod si sanguis postmodum cœ- 3
perit fluere, nihil timendum, sed potius sciendum est, animal legitime fuisse purgatum. Post quod sevum caprinum resolutum oleo miscebis, sic infu-

a) desint S. M. b) *Hinc ad finem cap. deesse in V.C. notat* S. M. c) commiscebis S. d) infundens S. M.

Digitized by Google

sis[a] naribus exulcerationis illius mitigatur asperitas.
4 Radicem[b] quoque laseris tonsam[c], & per fistulam
vento naribus insitam, ut sternutum provocet, ad-
5 hibere commodum est. Caput etiam extrinsecus auri-
culasque oleo calente diligenter perunges, & lana
cerebro indita, ab omni perfrictionis necessitate mu-
6 nibis. Nasturtii quoque semen bibendum dabis ex
aqua. Præterea potionem dabis, qui diapenton[d] vo-
catur, & hac ratione conficitur: Murræ[e], gentia-
næ, aristologiæ[f] longæ, baccis[g] lauri, rasuras eboris
bene tritas & cribratas æquis miscebis ponderibus,
7 servabisque. Exinde prima die unum coclearium cu-
mulatum cum sextario vini veteris, secunda die
unum & semis, tertia autem die duo coclearia te-
pefacto mero aspersa, & diligenti agitatione per-
mista dabis ad cornu. Postea ex cervice de matri-
cali vena sanguinem detrahes, permixtumque acer-
rimo aceto, omne equi corpus perunges h, & contra
pilum diligenter fricabis, ut ad similitudinem glu-
tinis adhæreat: jumentum quoque in loco calido
8 constitues. Si cibum fastidit, statim[i] duntaxat fari-

næ

a) infusum S. M. b) Item, accipe febrifugam, & asari radicem, & fac pulverem, quem naribus per fistulam insuffla ut sternutet: multum prodest S. M. *ex* V. C. c) tunsam *conj.* Morg. IV, 4. d) *Forte* quæ diapente.
e) myrrhæ troglitæ S. M. *forte* Troglodytitæ Vid. 2, 22. Gesn.
f) *Forte* aristoloc. Gesn. g) bacca S. h) perfundes S. M.
i) æstate F. & S.

næ hordeaceæ sextarium unum, quinque sextariis
aquæ permixtum, equo dabis in potu. Triticeam
quoque farinam simili mensura & ratione offeres
ad bibendum. Si autem fastidit, non ideo aliud da-
bis, quousque[a] hoc ex ista necessitate sanitatem per-
cipiat. De palato quoque postea sanguinem detra- 9
hes, ut omni ex parte, si qua morbus prægravare
cœperit, relevetur. Scito, nisi diligenter occurras,
hunc esse periculosissimum morbum. Nam cito in
suspirium, hoc est, anhelitum transit, & spem om-
nem salutis excludit.

Cura morbi aridi.

XI. Aridus vero morbus, qui & suspiriosus præ-
cipue dicitur: & hic negatur a quibusdam posse
curari, propterea, quod phthisi, quæ hominibus
mortifera est, similis invenitur. Quotidie enim ma-
cie crescente, exilior redditur, penitusque siccatur.
In omni autem ratione medicinæ, facilius est, quæ 2
abundaverint diminuere[b], quam quæ videntur dees-
se, supplere. Salus tamen jumentis etiam in hac
passione præstatur, si inter principia possit occur-
ri. Sanguinem siccis detrahere contrarium est. Sed 3
vino & oleo sufficienter admixto & tepefacto, per-
ungendum toto corpore animal est: ita ut caput

a) quam hoc ex necessitate sitis S. M. b) adimere S. M.

Digitized by Google

& maxillæ, & extrinsecus fauces eidem largius infundantur, & contra pilum usque ad sudorem diutissime confricentur. Intrinsecus autem a prima die
4 hac potione curandum est. Succum ptisanæ, adipem suillum remissum, & amilum ex melle passoque decoctum per cornu in potione dabis, ut canalis gutturis eidem, maxillarumque compago laxe-
5 tur, quam siccitas astrinxerat morbi. Quo facto, in loco calido stabit. Infusum hordeum herbamque viridem, si inventa fuerit, debet accipere, ut omni
6 ex parte periculosa ariditas temperetur. Consequenter talis eidem potio præparetur. Passi optimi sextarium unum, iridis Illyricæ unciam unam, piperis nigri semiunciam, croci scrupulum, mirrhæ trigonitis[a] semiunciam, pollinis thuris unciam unam, ova cruda quinque pariter mixta prima die dabis ex integro, ita ut per triduum ipsam misceas semper & offeras, ut tam gravis morbi asperitas, potionis dul-
7 cedine mitigetur. Post hæc, melle, butyro, axungia, salibus & picula, offis pro æqua omnium portione confectis, succo ptisanæ ac passo involutis, adtinctum animal replebis, (&) die prima quinque pillulas, sequenti septem, tertia die novem datu-
8 rus ex more. Expensis autem his, nec ungere cum vino & oleo tepefacto desit industria: nam ama-

a) *Suspecta vox editoribus:* draganti S. M. *forte* Troglodytidis.

rissimus morbus cum sit, aliter non potest, nisi
amaris potionibus solvi. CONTRARIA enim non nisi
contrariis medicinis curantur. Potionem diapentem[a], 9
sicut superius monstratum est, non solum per triduum cum vino, sed per dies plurimos dabis, ut
tantum discrimen possit evinci. Quod si gravior 10
tussis & strangulans urgebit, accipe fabæ fractæ
sextarium unum, sevi caprini uncias tres, allii[b] capita majora tria permixta decoques, & cum passo
vel succo ptisanæ hordeaceæ tepidum dabis ad cornu. Quod si tardius profecerit ista curatio, ficus 11
siccæ pondera[c] duo diligentissime tundis in pila, fœnugræci sextarium decoques, quousque aqua ad medietatem veniat, post colabis, & fœnugræcum in
mortario cum ficu conteres: allii quoque uncias tres
contundes similiter in mortario, & tam rutæ quam
apii fasciculos ternos: quibus omnibus pariter mixtis, diligenter tritis, addis dracontii uncias duas.
Aqua, in qua fœnugræcum coctum fuerit, super- 12
fundis, potionemque facies, quæ per cornu possit
effluere: quam etiam tussientibus vel vulsis aut ruptis animalibus per triduum dabis. Sequens reme- 13
dium ad aridum morbum: Inter nares jumenta scalpello[d] secabis, & aquam frigidam per fistulam latam[e]
ejus ori suppones, naresque ipsius[f] assidue diebus

a) *forte* diapente Gesn. b) scorodon S. M. c) partes duas S.
d) sagitella S. M. e) fistula latiori S. M. f) ipsas S. M.

plurimis merges, ut suspirium distabescat in aqua.
14 Potionem quoque ei quotidie dabis hujusmodi. Succum ptisanæ cum sevo caprino decoctum, sextarium unum, sulphur vivum, thus quoque masculum æquis ponderibus deteris atque commisces: ex eo cochlearia singula diebus singulis cum ptisana permixta deſundis ad cornu. Cum autem cœperit esse validior, de cervice sanguinem detrahes, additoque aceto animal perfricabis.

Cura morbi subtercutanei.

XII. Subtercutaneus morbus, cum humor pestifer intra corium & viscera commeat, hac ratione curandus est: Fistulam ei facies vel cauterium, inter armos ejus & ventrem loco consueto ad mensuram incisa cute, die sereno, & si spatium est, luna minuente, Indis ut mos est, per quam omnis e visceribus humor educitur, coloris aurei vel cro-
2 cei, languoris[a] tabe corruptus. Quæ si minus traxerit, radicem herbæ tithymalli eodem vulnere inseres septem diebus, quæ residuum virus educat. Est & aliud remedium. Radiculam, quam quidam consiliginem vocant, quidam pulmonaceam, qua mulo medici frequenter & bubulci utuntur, in pectore animalis hac ægritudine laborantis eatenus po-

a) longiori S. M.

nes, ut acuto cuprino circines locum. Postea corio perforato radiculam interseris: quæ ibidem sponte tamdiu permanebit, quousque cutis, quatenus cuprino signata, in putredinem sit versa[a], & a toto corpore ad illum locum humor trahatur, & per vulnus emittatur. Hinc potionem diapentem superius designatam, cum vino veteri optimo, per triduum, vel si necessitas[b] erit, per dies plurimos dabis. Apium quoque viride & baccas lauri, vel[c] istæ res si non invenirentur, lauri & cucumeris silvatici folia[d] per partes minutissimas concides, hordeoque miscebis, ut[e] animal[f] sicut e potione diapente, ita ex cibo sentiat medicinam. Huic tamen aquam tepidam cum farina hordeacea vel triticea dare te convenit, & in loco tepido stabulare. Nam frigus humoris[g] augmentum est, & reumatis. Cibum quoque magis siccum quam viridem in hac passione debet accipere, & exerceri vehementer, ut sudore siccetur humor infestus.

3 4 5

Cura morbi articularis.

XIII. Articularis morbus his declaratur signis[h]. Claudicabit alternis[i] pedibus, modo prioribus, modo posterioribus, & quasi tumor eidem in articulis cir-

a) decidat in putr. S. M. b) necesse fuerit C. c) folia *ins.* S. d) radicem S. M. e) & animali languido pro cibo dabis, sicut potionem diapente pro potu. S. M. f) languidum *ins.* C. g) humorem auget S. M. h) indiciis C. i) ped. diversis C.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ca coronas, vel certe in genibus apparebit: pro-
pterea quod pestilentia morbi corruptus sanguis ner-
2 vos & venas implet, & lædit atque debilitat. Huic
sanguinem primo de cervice, hoc est, de matricali
vena, detrahes: quem aceto acerrimo permixtum
per totum animalis corpus induces, ita, ut illa lo-
ca, quæ vexata sunt, diligentius ungas: quia cre-
ditur sanguis emissus e corpore, & corpori rursus
3 cum aceto impositus, vitia morbosa siccare. Quod
si vel in genibus vel articulis se morbus ostenderit,
de eisdem locis sanguinem detrahes, cui adjicies
cretam cimoliam, id est, albam, urticæ libram,
tres sextarios aceti, cimini triti libram, resinæ fri-
xæ libram, picis liquidæ libram, salis communis pu-
gillum, stercus bubulinum recens, quantum credi-
tur posse sufficere: ex hoc ubicunque tumor appa-
4 ruerit, diligenter sæpius illinies[a]. De palato spe-
cialiter sanguinem detrahes, ne contagio caput oc-
cupet. Ab armis quoque deplendum[b] est, si in prio-
ribus pedibus claudicatio apparuerit. Vel certe de
coxis auferendus est sanguis, si a posterioribus cœ-
5 perit claudicare. Dabis quoque ei potionem adver-
sus omnes morbos probatissimam[c]. Centauream, ab-
sinthium, peucedanum, serpillum, sagapinum, be-
tonicam, saxifragam, aristologiam rotundam: hæc

a) interlines C. b) sanguis detrahendus est S. M.
c) herbam *ins.* C.

omnia æquis ponderibus tundes[a] diligenter & cernes. Si febrit animal, cum aqua; si vero non febrit, 6
cum vino optimo dabis, ut singulis diebus per sextarium vini, vel aquæ tepidæ cocti prædicti medicaminis singula majora cochlearia plena & cumulata commisceas, & per fauces degeras[b], ut amaritudinem morbi herbarum amaritudo compugnans possit expellere.

Cura morbi farciminosi.

XIV. Farciminosus autem morbus, a similitudine farciminis appellatus est: quia velut per[c] fistulas quasdam inter cutem & carnem corruptus humor emanat, & per totum corpus collectiones plurimas facit, & aliis velut minuentibus aliæ rursum nascuntur. Sed passio licet contagiosa sit, facilius 2
tamen inter principia curabitur, quia interna[d] eorum adhuc sana sunt, sed corruptus humor ex morbo inter cutem & carnem versatur. Huic tamen in initio, tantummodo, antequam incipiat marcescere, aut in fine, cum jam bene fuerit reparatum, detrahendus est sanguis. Nam in media passione si fle- 3
botomia uti volueris, ægrotum animal nequaquam curabis. Sed collectiones quascunque fecerit, inuri rectis cauteriis, convenit; & ut efficacius prosint,

a) tonde S. Vid. Morg. IV, 4 *mox* cribra S. M. b) immittas S. M. c) fistulis quibusd. C. d) interiora S. M.

cuprinis cauteriis est utendum: quæ vulnera pice
4 liquida, admixto oleo & melle, curantur. Potiones catharticas, vel nimis amaras debet accipere, id est, diapente cum vino, sicut superius dictum est, quæ ad omnia genera morborum animalium efficaciter prodesse consuevit.
5 Præterea radices ebuli lib. 1 infundis per triduum sextariis tribus vini optimi. Post semiunciam optimi aloes centaureæ unciam 1, opopanacis unciam 1, diligentissime teres, & de illo vino, in quo ebuli radices infusæ fuerint, sextarium 1 mittes & tepidum per cornu dabis. Quam mensuram triduo custodire te convenit, ut etiam per ventrem hujusmodi catharticis potionibus digeratur humor infestus.
6 Quem exercere[a] in cursu, quousque ad plenum sudorem veniat, sæpius convenit: & curatum observatione prædicta, in pascua mittes, ut diu noctuque æstivo tempore sub divo & libero aere pascatur, quatinus & varietate herbarum oblectatus[b], & solis calore siccatus, rursusque noctis aura & rore contactus, facilius digerat morbum.

Cura morbi subrenalis.

XV. Subrenalis morbus ut periculis[c] plenus est, ita ad intelligendum apertissimus invenietur. Nam

a) exerceri C. *mox* mitti. b) oblectetur C. *mox* siccetur.
c) periculi C. *mox* jumento.

Digitized by Google

renes jumenti occupat atque dissolvit: propter quod animal in primis partibus alacre, posteriora[a] trahere consuevit. Huic hac ratione succurratur: De utro- 2
que latere, vel de femore incisis competenti loco venis, copiosius sanguis emittatur, qui acri aceto permixtus per omne corpus, & præcipue super renes animalis inducitur. Potionem notissimam diapenten ad cornu per os debet frequenter accipere. Sed & per anum calidissimis speciebus clysterii[b] in- 3
gestione curandum est. Aloes unciam 1, pyretri unciam 1, euphorbii unciam semis, pulegii bene triti unciam 1, baccarum lauri unciam 1, castorii semiunciam, seminis sinapis uncias 3, salis triti heminam: hæc omnia diligenter contusa in tres divides partes, & diebus singulis cum aqua, in qua furfures tritici decocti fuerint, tepida, sicut curæ exigit ratio, quasi singulos semisextarios[c], clystere per intestinum animalis infundis, ut calefactis intrinsecus renibus, resolutus humor possit per ventrem, cum stercore emitti. Præterea lumbi ipsius oleo 4
laurino vino calido permixto confricandi sunt vehementer & sæpe, ut deforis & intrinsecus acerbissima[d] passio possit evinci[e]. Cauteria quoque renibus imponuntur, ut vis morbi ignis ardore siccetur.

a) vix *ins.* S. b) clysteris injectione C. S. M. c) *Hinc lacuna in* C. *ad* 16, 4. d) acerrima S. M.
e) averti S. M.

Danda quoque est potio octo[a] specierum decocta, cujus in articulari morbo fecimus mentionem, quia in omnibus efficaciter prodest.

Cura morbi elephantiasis.

XVI. Elephantiasis morbi causa[b] superius est in-
dicata, cui talis est adhibenda medicina, ut non
extrinsecus uredinem, vel vulnuscula ipsius curare
tentemus. Nam morbus refugiet[c] intus, & penetra-
2 bit viscera, ac periculum gignet. Sed primum de
matrice tollendus est sanguis, & acri aceto com-
miscendus, ac toto inducendus est corpori. Postea
de palato, &, si vires permiserint[d], de cæteris lo-
cis, quæ morbus infestat, pro modo ac tempore
minuendus est sanguis, & cum aceto rursum impo-
3 nendus. Pulli autem a matre depulsi, & ad stabu-
la religati, præcipue solent hunc morbum incurre-
re: quia digestio cibi, qua in pascuis utebantur,
primæ exercitationis[e] aufertur[f], & nondum ad resi-
4 dendum robusti, ad præsepia stare coguntur. Ele-
phantiosi morbo, & omnibus mallei passionibus,
non solum diapente, cujus experimentis indubitatæ
sunt vires, & sine quo mulo medicus mutilus est,
sed hæc quoque potio præparanda atque servanda:

a) de octo speciebus S. M. b) discretio S. M. c) refugiens intrinseca penetr. in S. M. d) patiuntur S. M. e) excitationis S. M. f) modus *ins.* S.

Digitized by Google

Mirræ trigonitis[a] libram 1, thuris masculi lib. 1, corii 5
mali Punici selibram, piperis unciam 1, croci uncias
6, acaciæ rufæ selibram, absinthii Pontici selibram,
serpilli libram 1, betonicæ libram 1, centaureæ libram
1, sagapini uncias 3, saxifragæ uncias 6, peucedani
uncias 6: hæc omnia tusa & bene cribrata, cum melle 6
optimo decoques, & in vase vitreo vel stagneo re-
condita servabis: nam per [b] vetustatem magis valet.
Ex quo medicamento singula cochlearia cumulata,
singulis animalibus morbidis, cum sextario aquæ ca-
lidæ, & tribus unciis olei optimi permixta[c], per
triduum dabis. Ubi proficere cœperit, cum vino 7
optimo & oleo dabis, (sicut dictum jam est) co-
chlearia singula continuis diebus. Ex qua potione,
non minus quam diapente quolibet morbo correpta
animalia liberantur. Pulli tamen beneficio ætatis
evadunt facilius; sæpe incurati moriuntur.

Causæ & curæ generales morbi mallei.

XVII. Ea quæ ad morbi mallei execrabilis curationem pertinebant, abundanter constat exposita. Sed tanta vis ipsius morbi est, ut nihil expediat omitti: nam gregum in pascuis funestus interitus, animalium quoque in stabulis mortes innumeræ, ex ipsius contagione proveniunt, & ab imperitis, vel

a) troglodytis *conj.* Morg. IV, 5. b) vetustate amplius val. C.
c) mixtim S. M.

negligentibus curam aut divinæ iracundiæ imputa-
2 tur[a], aut fato[b]. Denique sicut supra declaratum est,
ab uno animali incipit ipsa pernicies, & festinanter
3 ad cæterorum transit exitium. Propterea semper[c]
sunt separanda, in quibus suspicio tantæ pestis cœ-
perit apparere, usque eo, ut etiam corpora mor-
tuorum animalium, quæ ab illo morbo interemta
fuerint, exportanda sint ad ea loca, per quæ alio-
rum animalium transitus non sit, & profunde ob-
ruenda sub terra. Nam & vivorum, quæ corrupta
fuerint, & mortuorum fœtidissimo odore, sana pri-
4 mo jumenta corrumpuntur & pereunt[d]. Cujus morbi
causas, plurimi mulomedicinæ auctores reddere ten-
taverunt, asserentes ex nimia lassitudine cursus,
vel saltus violenter extorti; aut ex calore æstatis,
vel frigiditate hiemis; aut si volentes emittere lo-
tium non sinantur; vel si hordeum sudantes acce-
perint, & si post cursum calidi biberint; (& si
plena vesica,) vel post potum cogantur ad cursum;
aut fœnum comederint hordeumque corruptum[e]: ex
his vel hujusmodi necessitatibus[f] malleum[g] morbum
5 solere generari. Vitanda quidem ista sunt omnia,
nam ex his periculosæ ægritudines jumentis sæpe

a) *forte* imputantur Gesn. b) meritis S. M. c) equi separandi sunt C. Et propter hoc semper repellenda sunt ab aliis illa S. M. d) compleantur & pereant C. e) scalmatum S. M. f) *Præter* C. causis *al.* g) *Sic* C. malleus morbus consuevit generari *reliqui*.

proveniunt. Malleus autem morbus ex aeris corru-
ptione præcipue descendit. Nam Austro & Africo
vento flantibus, interpositis annorum spatiis, recur-
su[a] (ut asserunt) catastematis, sicut certo tempore
homines pestilentia corrumpuntur, sic animalia ille
aer corrumpit & perimit. Unde probatissimæ & 6
plures necessariæ sunt potiones, quæ adversus tan-
tam vim præstare valeant salutis auxilium. Qua-
rum partem superiori[b] jam pagina comprehendimus,
partem ex omnibus auctoribus collectas consequen-
ter adjunximus[c]. Remedium proficiens[d] ad omnes ge- 7
nerales morbos. Semen cucurbitæ Ægyptiacæ, (i.
coloquintidem) quantum acetabulum capiet, frangis
& conteris, addita vini optimi[e] hemina una, quod
diligenti agitatione permixtum linteolo colabis, &
per dextram jumenti narem infundes[f], ut pervenire[g]
possit ad viscera. Quæ compositio ad dysenteriam 8
plurimum prodest. Alia[h] quoque vilior, sed non
minus apta curatio est. Radices cucumeris silvatici
virides contundes, & in aqua nocte una macerabis,
deinde sublatas contundes & colabis, ex quo succo
tria cochlearia cum nitro trito permixta, cum vi-
no, si animal sine febre fuerit, tepefacto, quotidie

a) etiam *ins.* C. b) superior jam pag. comprehendit C.
c) *Novum caput* XVIII, *cui lemma*, Remedium ad omnes morbos C. d) generaliter ad om. mor. S. M. C. e) albi triptici opt. C. f) suffundes C. g) ei *ins.* C. h) quamvis vilior sit, non minus C.

Digitized by Google

faucibus ingeres, ita ut septem diebus continuis cu-
9 rare non desinas. Nitrum quoque bene tritum & cucumeris silvatici radices minutatim concisas, addita hemina vini tepidi, in hordeum bene purgatum, animali languenti ad pabulum infundas, ut non solum potio, verum etiam pabulum medicamen-
10 to temperatum faciat ad salutem. Item aliud[a]. Radicem ebuli & radicem urticæ æquis ponderibus minutim[b] incisas, & infusas in liquamine optimo macerabis, colabisque per linteum[c]: ex quo mensura[d] unius ovi tepefactum per nares animalis triduo de-
11 geres[e]. Consequenter ita facturus, ut jumentum, quod morbum patitur, hordeum cum[f] apio & cucumere silvatico minutatim inciso, semper accipiat, contusumque ipsum agrestem cucumerem & aquæ
12 sufficienter admixtum, bibere cogatur. Laudatur etiam hæc potio. Herbæ Sabinæ libram 1, trixaginis uncias tres, centaureæ uncias 2, aristolochiæ uncias 4, baccarum lauri uncias 4, murræ uncias 4, omnia contundes & cernes, & in pulverem minutissimum rediges, & cum necesse fuerit, cochlearium magnum plenum cum sextario 1 vini tepefa-
13 cto faucibus tædiantis infundes. Hæc quoque adversus omnes morbos medicina succurret, quod quate-

a) remedium *ins.* C. b) minutatim concisas C. c) linteolum C. d) mensuram — tepefactam C. e) immittes S. M. f) cum radice apii & cuc. S. M.

nus vires patiuntur, interpositis diebus (cum præscriptis minutionis observantiis,) primo de cervice, post de palato & in quibuscunque locis se morbus ostendit, ut si in facie, de capite; si in primis partibus, de armis; si in posterioribus, de coxis, sanguis est auferendus, & cum aceto miscendus, ex quo animal perfricetur. Cui hæc per triduum po- 14
tio dabitur: Panaces radicum uncias 3, eryngii[a] radices ponderis tanti (Eringion autem herba melior est, quæ in littore vicina marinis fluctibus nascitur, carduo silvestri pene similis, flore galbineo, cujus eruendæ sunt radices, nam longius penetrare dicuntur) feniculi quoque seminis uncias 3, aloes uncia una semis contusa & cribrata in tres particulas dividentur, & cum fracti & moliti tritici farinæ[b] sextario candenti aqua misceatur, & ad cornu per fauces triduo animali infundantur. Pelagonius ad- 15
versus omnes morbos efficacissimum pulverem credit esse, si pullum ciconiæ nondum adhuc stantem, sed jam plumas habentem, vivum in cacabum[c] mittas, & gipses, perustumque vapore furni, in pulverem redigas, & tritum vitreo vase custodias[d], grande cumulatumque cochlearium cum vini sextario animalis faucibus infundas[e], donec recipiat sani-

a) erengi *al.* yringii F. S. *hic & p.p. add.* Morg. IV, 6.
b) albissimæ *inſ.* S. c) fictilem *inſ.* C. fictile vas S. M.
d) exinde *inſ.* C. e) infusurus C.

Digitized by Google

16 tatem. Chiron vero Centaurus præter alias compositiones, quæ jam relatæ sunt, asserit, catulum lactantem[a] vivum in aqua ferventi[b] missum ac depilatum, ita decoqui, ut ossa separentur a carne: quibus diligenter ablatis, ejus caro[c] cum aqua, in qua decocta fuerit[d] liquamine optimo, vino veteri & oleo, & pipere cum melle condita, usque ad sextarium debere servari, ac singulis animalibus binas cotylas tepefactas, donec ad sanitatem perve-
17 niant, diebus singulis dari debere per fauces. Caput quoque hædinum, omnesque pedes depilatos ad caldarium eadem ratione, qua catulum, excoqui[e], ablatisque ossibus condiri, & binis cotylis per diem in potione, per cornu sæpius datis, animal morbidum liberari. De gallo quoque gallinaceo albo, eadem, quæ de catulo observanda, demonstrat.
18 Radicem quoque herbæ tithymali decoctam, cum
19 vino dulci dare morbidis animalibus suadet. Ei quoque animali, quod profluvio Attico cœperit laborare, ita ut viridis ei, vel pallidus (per nares) humor erumpat ex lotio humano[f] vel arietino duas cotylas cum vino, & cyatho olei rosacii putat esse miscendas, & per nares, quæ humorem funestum ege-

a) lactentem *conj.* Morg. III, 42. b) in aquam ferventem S. M. c) viscera C. d) fuerint C. e) diximus *ins.* C. f) veteri vel *ins.* C.

Digitized by Google

egerunt, digerendas [a]: quam [b] curationem & pulmoni sanitatem, & naribus siccitatem præstare confirmat.

Potio anniversaria Physica.

XVIII. Pro physico autem & anniversario remedio tradidit ulpicum beticum [c] vel allium majus; quod quidam Gallicum vocant, capitella singula, cum singulis semiunciis sagapini, & singulis cyathis olei optimi diligenter [d] trita, singulis aquæ heminis oportere misceri, & heminas singulas per caput animalium dari octavo Kalendas Julias (hoc est, in initio canicularium dierum,) septimo & sexto: quo facto trinis potionibus stagnata, ut dicuntur animalia armentina [e], vel domita integro anno a morbo intacta servari.

Compositio suffimentorum contra morbum malleum.

XIX. Adversus morbum malleum, cujus diversæ [f] sunt species [g], quæ in potionibus, tam per os, quam nares degerendis, vel clystere, quæque in cauteriis vel flebotomo facienda sunt, declaratum est, sed restat alia non minus necessaria efficaciorque cura-

a) infundendas S. M. b) quæ curatio & pulmonibus salubritatem — confirmatur C. qua curatione — præstari S. M. c) bene tritum C. S. M. *Neque occurrit, qui præterea Bæticum laudet.* d) diligentissime C. e) armentitia C. f) multæ S. M. g) quæ in unctionibus *ins.* C.

tio, quæ suffimentorum[a] genere & odore præstatur.
2 Nam cum ipsa tabes ex corrupti aeris fœtore nascatur, & usque in pulmonem & viscera penetrando, descendat, non minus austeritate odoris, quam po-
3 tionum amaritudine consuevit expelli. Pro numero itaque animalium eliges locum humilem ex omni parte clausum, in quo induces animalia[b] jam ægrotantia, quæ curare desideras; vel adhuc sana & separatim, quæ non vis morbi contagione perfundi. Origanum, allium, mentam, aspaltum, peucedanum, castoreum & opopanacem æquis ponderibus permisceas, & exinde quantum tribus digitis levare poteris[c], in carbones vivos mittas, animaliumque os & caput super fumum tenebis, ut austeritas odoris, per os & nares intrinsecus ingressa, omnia compleat, & ad pulmonem usque penetrando perveniat, & præstet animalibus medicinam.

Alia compositio suffimentorum vehementior, ad lustranda animalia, quæ & fascinum tollit.

XX. Est & alia compositio suffimentorum ad morbos prohibendos, sumtuosior[d] quidem, sed putatur utilior. Sulphuris vivi libras 2, bituminis judaici lib. 1, opopanacis uncias 6, achanti[e] uncias sex, gal-

a) fumigiorum nidore S. M. b) vel *inr.* C. c) potueris C. *qui omittit* cap. 20 & 21. d) austerior S. M. e) *forte* achatis.

bani & castorei, yreos crudi ana uncias 6, salis ar-
moniaci uncias 2; salis cappadocis uncias 3, cornu 2
cervini, lapidis gagatis masculi, lapidis gagatis fœ-
minæ, ana uncias 3, lapidis ematitis[a], lapidis sideri-
tis, lapidis argeritis[b] ana unciam 1, equuleos, id est
caballiones marinos numero septem, caudas mari-
nas, ungues marinos ana numero septem, uvæ ma-
rinæ uncias tres, medullæ cervinæ, cedrei, picis
liquidæ ana pondera tria, ossa sepiæ numero VII,
auri semiunciam, ballucæ siliquam: hæc universa 3
commixta atque succensa, odore suo morbis tam ho-
minum quam animalium resistunt, & dæmones fu-
gant, grandines prohibere, & aerem defecare di-
cuntur. Sed si memoratos lapides aut invenire ne-
quiveris, aut enormitate pretii ab emtione cessave-
ris, reliqua efficaciter prosunt.

De ratione flebotomi.

XXI. Medicina omnis[c] animalium, vel si verum quærimus, etiam hominum, nisi rationem curationis ante cognoverit atque prædixerit languentibus[d] periculum, errabit frequenter. Exposita enim curandi ratio, & cum genere congruens passionis, indubitanter[e] præstat auxilium. Ideoque pluribus mem-

a) *pro* hæmatitis. b) *pro* argyritis. c) communis S. M.
d) languentis S. M. e) indubitatum S. M.

bris ac morbis generale remedium diligenter[a] oportet exponi, quod præcipue in sanguinis detractione consistit, si rationabiliter pro tempore & viribus animalium, & pro ætate[b] perfecti mulo medici ad-
2 hibeatur industria. Qui si ignarus fuerit hujus rationis, non solum per detractionem sanguinis non curabit, verum etiam periculum jumentis frequentissime generabit. Nam cum vita virtusque animantium consistat in sanguine, rursus tempestive detractus sanguis corpori præstare adsolet sanitatem.
3 Cujus rei talis redditur ratio. Sanguis enim ciborum humorumque indigestione corruptus, per membra discurrit, & languorem doloremque aut universo corpori, aut certis quibusdam partibus consuevit inferre. Nam per constrictionem nervorum, venarumque tensionem, inflatio, indigestioque[c] generatur: quæ tensura (ut ita dixerim) corporis aliter laxari, nisi per detractionem sanguinis, non potest. Unicum enim compendium atque remedium est, corruptionem illam, quæ nocet, & quasi infesta tabe ægritudinem vel periculum gignit, cum sanguinis ipsius vitiosa parte detrahere.

a) diligentius S. M. b) æquitate F. S. c) indignationesque generantur S. M.

Digitized by Google

Quæ diligentia adhibeatur in sanguinis detractione.

XXII. Hinc[a] plerique veris tempore quotannis
de cervice jumentis sanguinem demere, & sic in
herbam mittere necessarium putant, ne veteri cor-
ruptoque sanguis novus admixtus natura calescens[b]
debilitatem valetudinisve[c] periculum faciat. Veteres
autem, prudentioresque auctores absque necessitate
depleri animalia vetuerunt, ne consuetudo minuen-
di[d], si tempore aliquo ſacta non fuerit, statim intra
corpus morbum ac valetudinem generet. Rectius 2
ergo est minoris ætatis animalibus & bene valen-
tibus ex nulla parte corporis sanguinem detrahi
absque palato: de quo assidue tam[e] minoribus,
quam maturis detrahendus est humor, ut caput,
oculi, cerebrumque releventur. Maturis vero ani-
malibus non incommodum est pulsare venam[f],
cum mittuntur in pascua. Illa tamen in omnibus, 3
qui deplendi sunt, conservanda est consuetudo,
ut pridie, quam vena pulsetur, sustententur le-
vioribus & parcioribus[g] cibis, ut per diastema[h] com-
posito corpore sint, non turbato per indigestionem.
In solo[i] autem æquali statues jumentum, cervicem-

a) placuit plerisque S. M. b) *Quidſi* coalescens? Gesn.
c) vel S. M. d) deplendi C. S. M. e) tum majoribus quum
minoribus S. M. f) matricalem *inſ.* C. g) paucioribus C.
S. M. h) jejunium quiete S. M. i) loco S. M.

que illius loro cinges, quo strictius super scapulas
tangatur[a], ut vena possit ab aliquo clarius intueri.
4 Tunc spongia[b] cum aqua venam ipsam lavabis & sæ-
pe deterges, ut altius emineat. Pollicem quoque si-
nistræ manus interius deprimes, ut non eludat[c], &
tumidior atque inflatior vena reddatur. Consequen-
ter juxta præceptum artis, vel animalis ipsius posi-
tionem, sagittam dari[d] calibis exiges cotibus bene
5 acutatam. Observabis quoque, ne altius imprimas
manum & gulam, atque gurgulionem rumpas &
arteriam præcidas: hoc enim[e] vitæ consuevit infer-
re periculum. Percussa[f] vena, fœnum vel farragi-
nem[g] ad edendum apponas animali, quatenus agita-
tione maxillarum melius erumpat sanguinis impetus.
6 Cum autem niger vel corruptus humor egeretur,
vel cœperit manare[h] purior, statim jumentum tol-
les a cibo, & imposita fibula[i] venæ plagam[k] adstrin-
ges. In plaga vero pittacium imponas, ut diligen-
7 tius claudat, licet quidam utantur & creta. Dein-
de in tenebroso loco & calido statues jumentum &
farraginem, si tempus est, vel fœnum mollissimum
dabis septem diebus ac noctibus: aquam etiam offe-

a) teneatur ab aliquo, ut vena possit clarius eminere S. M. C. b) axungia S. M. *Fuit, putat* Gesn., sphungia. c) cedat S. M. d) *forte* duri calybis Gesn. e) factum *ins.* S. facto C. f) quoque *ins.* S. g) viridem *ins.* C. S. *quam glossam putat* Gesn. *farrago enim semper viridis.* h) rubicundior vel p. C. S. M. i) *Præter* C. fistula *reliqui.* k) vulnus S. M.

res, ut, si voluerit, bibat. Sed triticea farrago hordeaceæ præfertur; quæ si defuerit, hordeaceam dabis. Memento etiam, quod ea melior sit, quæ vi- 8
cinior marinis fluctibus fuerit. Propter quod ven- 9
trem facilius solvit, humoremque deducit. Pulsata etiam quocunque loco vena, omnem[a] sanguinem diligenter excipies, & aceto oleoque permistum vel aliis medicaminibus, quæ ratio deposcit, animalis ipsius corpus perunges, præcipueque illum locum, ex quo detractus est sanguis, & qui esse putatur
in causa. Constat enim naturali quadam ratione at- 10
que beneficio, ut quidam ajunt, ipsum sanguinem, cum superfusus est languentibus membris, præstare medicinam, vitiumque siccare. Quam curationis sollertiam non oportet omitti. Præterea interpositis 11
diebus post flebotomum, animalia producuntur ad solem, & sanguis detrahitur eis de palato. Despumantur autem tertio gradu a dentibus caninis. Quos oportet suspendi altius propter sanguinis fluxum, ita ut eo die mollissimis cibariis utantur & furfure. Sequentibus autem diebus, non ex integro hordeum consequantur, sed a[b] vilibus incipiant, & ad consuetudinem per[c] singulorum dierum augmenta perveniant. Consequenter tepido die ducantur 12
ad mare vel fluvium, diligenterque loti tergantur.

a) totum S. M. b) duas libras accip. S. M. a libris incip. C. *quod putat verum* Gesn. c) singulis diebus augendo S. M.

Vino quoque & oleo in sole perungendi sunt diligenter & confricandi, ut corpora eorum calefacta aut repellant, aut perferant perfrictionis injuriam. Quibus perfectis equi nobiles tum demum ad labores cursusque itineris revocentur.

Castrata animalia non deplenda.

XXIII. Sciendum est præterea, castrata animalia nunquam oportere depleri: causa hæc est, quia jam partem virium cum testibus amiserunt, & si depleta fuerint, vehementius enervantur. Hinc est[a], quod asinis non[b] detrahendus est sanguis, quia naturaliter minus habent sanguinis, gracilioresque sortiti sunt venas.

Admissum facientes non deplendos.

XXIV. Admissarios etiam equos flebotomare non est opus: partem enim virium & sanguinis in coitu natura digerit. Si tamen ab admissura cessaverint, nisi annis omnibus herbarum tempore depleantur, incidunt in cæcitatem, quia id, quod coitu[c] digerere consueverant, declinat[d] in oculos[e].

a) enim *ins.* F. S. b) de matrice nunquam *ins.* C. c) per coitum egerere consuerant C. d) redundat C. S. M.
e) eorum *add.* S. M.

In quibus passionibus & ex quibus locis sanguis sit auferendus.

XXV. Nunc, ne quid relinquatur ambiguum, in quibus passionibus, & ex quibus locis, sanguis emitti debeat, indicabimus. Morbidis & quibuscunque totum corpus in causa est, (sicut febrientibus, unde, infra dicendum) de matrice detrahendus[a] est
sanguis. Cephalargicis autem, appiosis, insanis, car- 2
diacis, caducis, freneticis[b], bistrutitiis[c], sicardiciis, rabiosis quoquo modo præcipitur de auriculis[d] sanguinem demere. Verumtamen melius est de temporibus, quæ in dextra & sinistra sunt parte, detrahatur, id est, sub cavatura temporum, tribus digitis ab oculo interpositis, inferius vena perquiritur, &
ex utraque emittitur sanguis. Eis vero, quibus suf- 3
fusio contingit oculorum, vel cætera vitia, quæ oculis nocent, inferiores venæ sub oculis positæ, quæ descendunt sub angulis oculorum inferioribus, quatuor digitis inferius, quam oculi sunt[e], inciduntur.
Quibus quidem fastidium inhæret, vel arteriarum vel 4
faucium tumor, vel prægravatio capitis, de palato auferendus est sanguis. Quibus autem pulmo est in causa vel jecur, vel cætera, quæ his vicina sunt

a) tollendus S. M. b) phrenet. C. *recte*. c) dysentericis, sideratis S. M. distentis, sideraticis C. d) venis auricularum C. S. M. e) phlebotomo *ins.* S. M.

membris, de pectore minuendus est, ex venis, quæ positæ sunt in dextra ac sinistra, ubi brachiola conjunguntur, & flexura fit, cum armus plicatur.
5 Quibus quidem armus est in causa, de[a] brachiolis sanguis minuatur; quæ venæ positæ sunt interius, ubi centuriæ, id est, musculi brachiolares sunt, sex digitis superius quam genu, tribus vel duobus digitis inferius quam centuriæ. Hæ venæ sagitta percutiantur, sed caute modesteque tangantur, propter debilitatem animalis; quia hæ commixtæ sunt nervis.
6 Quibus autem articuli in causa erunt, vel si articulus insertus[b] vel intortus fuerit, vel aquatilia habuerit, vel quidvis simile in articulis contigerit, de subcirro[c] sanguis subtrahi debet: quæ venæ positæ sunt inferius quam articuli tribus digitis sub coronam: quæ venæ cum summa cautela[d] tangendæ sunt, quia articulorum conjunctæ sunt nervis. Creciaco[e] vel si basim moverit[f], de coronis rectis[g] tollitur sanguis.

De his, quibus sanguis in ungulam tollitur. Alias, Qui ungulam cogunt, vel ejecerint, quomodo sanguis tollatur.

XXVI. Quibus autem jumentis vel suffusionis

a) e creticis de br. S. M. b) exemtus vel tortus S. M. c) subito S. M. *forte* de sub cirro *rectius erit*. d) sollicitudine S. M. e) Cretico autem S. M. f) præcisio monuerit. g) rectius.

vitio, vel per voluntatem excruciata ungula fuerit[a],
vel quibus remorata basis longi temporis claudigi-
nem fecerit, ejusmodi curatione sanantur. Compo- 2
nis[b] omnem ungulam quasi ad vivum, adlidesque
virantum[c], hinc suffraginem illius alligatam lino ve-
hementer stringes, totumque simul ungulæ solum
in circuitu scalpelletur[d] & circumgyrabis, ut a coro-
na ungula sublevetur ex parte, tunc circumcisorium
inferes[e] inter unguem & solum, & cum bene elim-
pidaveris, suffraginem solvis, & invenies de cal-
caneo venas fluere, & cum sufficienter effluxerit[f]
cruor, sale perfricabis, postea[g] aceto & oleo inun-
ges, & linteolis munies diligenter. Spaciam[h] calcia- 3
re curabis, ut post egestionem humorum ungula re-
paretur. Hujusmodi autem curam nunquam nisi sin-
gulis pedibus adhibere debebis, ut in tanto dolore
animal duret ac stet. Si autem in alio pede similis
est causa, cum in illo, qui prius curatus est, fir-
miter animal stare cœperit, tunc eum elides, &
ut dictum est, simili observatione curabis. Si vero 4
in his causis animal cremare[i] volueris, semissabis
illud hoc modo. Compones ungulam ejus ad vivum,

a) quæ vulgo ungulam cogere dicuntur *ins.* S. b) Componito pedem ad gubiam: & omnem &c. S. M. c) fumentumque S. M. d) scalpello circumscribis S. M. e) inseres S. f) emanaverit S. M. g) postmodum S. M. h) spatio S. M. *sed rectum est* spartea Morg. IV, 9 *ex nostro* 3, 18.
i) stigmare S. M.

& contra venam addita sagitta pertundis, ut possit sanguis acontizare[a] per solum, quod sagitta pertuderit. Simili autem modo sale fricabis, oleoque & aceto, linteolisque munibis[b], duntaxat singulos pedes, ita ut portare se possit, hi[c] plane qui semissantur non eliduntur.

De epiſtomicis, vulſis, colicis, ſtrophoſis, & qui morbo ſubrenali tenentur, unde ſanguis tollendus ſit.

XXVII. Epistomicis[d], vel qui morbo subrenali læduntur[e], vulsis etiam, colicis, & quibus venter frequenter dolet, de cauda sanguis emittitur, licet melius putetur propter hujusmodi causas ortas de
2 visceribus debere sanguinem tolli. Quod si de cauda tollere[f] volueris, sic facies: Erige & resupina caudam ad lumbos, quatuor digitis ab ano, ubi pilos non habet, cæde caudam cum tabula aliqua non ponderosa, quousque se vena demonstret, & in caudæ media divisura quatuor digitis ab ano sagitta percuties venam, ut[g] acontizet sanguis, post decur-
3 sionem fasciola colligabis. Cum autem de visceribus emittere volueris, sub inguibus[h] de dextra sinistrave in singulis femoribus eminentes venas medias sa-

a) exire S. M. b) curabis S. M. c) Hoc modo pla. qui semiss. non læduntur S. M. d) Epistonicis S. *quid ſi* opisthotonicis? Gesn. e) tenentur S. M. f) extrahere S. M. g) si non egrediatur S. M. h) inguinibus S.

Digitized by Google

gitta percuties, post decursionem sanguinis cretam impones, (sed [a] caute, propter vicinam misturam nervorum.) Si laccæ in gambis fuerint, aut aliquis 4
dolor coxæ vel gambæ, sanguis detrahatur [b] gambis: sunt enim venæ a visceribus descendentes per gambas interius, quas medias propter vicinam mixturam nervorum caute transverso [c] flebotomo percuties, & post decursionem fasciola ligabis.

De ratione foci atque cauterii.

XXVIII. In animalium curis ac medicinis duplex remedium auctores esse voluerunt [d], minutionem sanguinis, per quam constricta laxantur, & ustionem cauterii, per quod [e] laxata firmantur. Sed cum flebotomi ratio evidenter videatur exposita, cauterii quoque, licet novissima cura sit, aperienda videtur utilitas. Nam adustio laxata constringit, inflata 2
attenuat, humectata desiccat, coagulata solvit; carcinomata præcidit, veteres dolores emendat, alienatas corporis partes ex qualibet causa ad statum suum revocat, super naturam excrescentia, sublata & adusta crescere non patitur [f]. Nam cum 3

a) *Hæc loco mota videntur, & referenda post* percuties. Vid. Morg. IV, 10. b) sub *ins*. S. M. c) caudæ transverse S. M. d) scilicet *ins*. S. M. e) quam laxa S. M.
f) sinit: nam beneficio cauterii rumpentis cutem caro coquitur & maturatur, & beneficio ignis dissoluta per foramina, qua facta fuerunt S. M.

candente ferro ruperis cutem, vitium omne concoquitur atque maturatur, & beneficio ignis dissolutum, per foramina, quæ facta sunt, effluit cum humore: atque ita sanatur passio & tollitur dolor. Post quæ cicatricibus clausis, constrictior & robustior redditur locus, ac prope insolubilis cutis. Sciendum vero [a] cuprina cauteria plus effectus ad cu-
4 randum habere quam ferrea. Præterea si in capite morbus est, inuritur cervix: si subrenalis est, lumbis ignis adhibetur. Interdum autem puncta [b] infiguntur, interdum ad similitudinem lineæ [c] candens deducitur ferrum, aliquando velut palmulæ fiunt. In hoc enim laudatur mulo medici ingenium, si ita
5 animal cauterio curaverit ne deformet. Pro locis autem, in quibus est passio, & pro pellis æstimatione [d] cauteria vehementius imprimuntur [e] aut levius.
6 Memoria autem retinendum est, quassaturas [f], emota vel extorta, aut ejecta de locis suis, uri [g] penitus non debere: nam perpetua debilitas consequitur: sed melius est cum locis suis reposita fuerint, & ligaturis diligentius communita, atque ita naturæ industriæque beneficio corroborata, colasticis [h] unctionibus & malagmis, postremum causticis eadem
7 percurare ad spem perpetuæ sanitatis. Quod spe-

a) quoque S. M. b) adhibentur vel S. M. c) virgulæ *vocantur* 3, 41, 3 *qui locus confer.* d) extenuatione S. M. e) infiguntur S. M. f) fracturas F. M. & S. M. g) moveri S. M. h) calasticis S. M. *Rectum est* chalasticis.

cialiter admonendum est, ne mulo medici festinantes, dum foco curare cupiunt, animalia debilitent aut deforment, cum flebotomis, potionibus, unguentis, syringis medicaminibusque diversis ante sit temptanda curatio, & si nihil profecerint, ad extremum ignis adhibetur.

De passione & curis febrium.

XXIX. Quæcunque passiones plus jumentis periculi inferre[a] consueverunt, & difficilioribus obscurioribusque[b] indigent curis, has primo[c] amplectimur libro, ut & facilius reperiantur, quæ in exordiis ipsius[d] occurrent, & legentibus fastidium non possint
adferre. (De curis quæ prima sunt.) Febrientibus 2
itaque animalibus primum convenit subvenire: nam non amplius, quam triduo caloris vim sustinere posse creduntur: intra quod si curata non fuerint, moriuntur. Oportet igitur prius passionis hujus signa causasquæ prædicere, & mox medicinas expo-
nere. Febriens jumentum dejectum caput e terra 3
allevare vix poterit, erit oculis apertis, labiis demissis, tristitia turpis & gravitas totius corporis insequitur, testiculi tumidiores laxius pendent, membra caloribus fervent, venæ vehementi pulsu saliunt, anhelitusque creber & calidus, tussis assidua, in-

a) adferre S. M. b) & durioribus S. M. c) uno complectimur S. d) *forte* ipsis.

cessus nutans, fastidium cibi, bibendi cupiditas, vi-
4 giliæ juges. Causa autem hujus passionis ex magno labore & fatigatione est, si negligentia consequatur. Interdum æstu nimio, aut perstrictione[a] vehementi, vel ex cruditate ciborum, aut sudoris subita infrigidatione, vel ex fervore hordei novelli
5 evenire[b] consuevit. Curatio autem ista solennis est. Continuo sanguinem eis de facie, vel de temporibus, aut palato oportet emitti, ab omni esca prima die penitus abstineri, fœni optimi aut herbæ viridis subinde pusillum offerri oportebit, & quiescere etiam ab omnibus rebus, & etiam sequestratum temperato tempore, & inambulationibus levibus animal commoveri, calidis quoque locis cooper-
6 tum stabulari. Cum cœperit melius esse, herbam minutatim concisam[c] porrigito: quæ si defuerit, hordeum maceratum, ablatisque suis folliculis tusum, in modum ptisanæ paulatim offeratur, & frequenter exiguum.

De lassitudine, quæ videtur febribus similis.

XXX. Plerumque autem equi ultra vires ad cursum coacti, aut ponderibus prægravati, ac sudore defecti, similia febricitantibus[d] signa demonstrant. Quos

a) perfricatione S. M. perfrictione *verum*. b) accidere S. M.
c) incisam S. M. d) febrientibus S. M.

Digitized by Google

Quos sic intelliges: Oculi sublachrymantes erunt, & tanquam subfusi sanguine, præterea spiritum crebrius agitat, fœnumque fastidit, & de posterioribus pedibus melius se sustentabit: nam primos[a] quasi subtritos tardius ponit.

De febribus internis.

XXXI. Quod si febris interna fuerit, non facile animal dormiet, & quotidie deterius fiet, interdum furunculos[b] in dorso vel in lateribus habebit: scias[c] eum a morbo, qui superius disputatus est malleus, detineri. Cui lotium aliquot dierum[d] tam hominum, quam arietum per nares infundes. Et sic potiones, quæ de isto morbo supra scriptæ sunt, dabis.

Si in autumno febrierit.

XXXII. Si autem autumni tempore cœperit febrire jumentum, statim de cervice sanguinem detrahes, vel gradu tertio de palato; post herbæ trixaginis sextarium, draganti, rosarum ana unciam I in pila lignea pistabis, cernesque[e] subtiliter, ex aqua[f] cum mulsa & oleo potionabis, atque ita restitues sanitatem.

a) priores S. M. b) funiculos S. M. *male*. c) & tunc scias a morbo, de quo supra disputatum est, malleo S. M.
d) diebus S. M. *melius*. e) teresque S. M. f) qua S. M. *recte*.

Si æſtate febriat.

XXXIII. Si autem æſtate febrire cœperit, totum ſudabit, ſataget ſalientibus venis, minčturam[a] & naturam ſimul dimittere, ad terram tranſverſé ambulabit. De coxa media quatuor digitis ab ano venam inquiris, & ex ea ſanguinem detrahes. Si autem non inveneris, de cervice tollendus eſt. Cui hanc potionem pro tempore dabis: Herbam[b] portulatæ plenam manum tundis, ſuccumque ejus cum dragante & thure, & ſucco roſæ campanæ mulſá addita offeres, potionem non ſatis grandem, ne plus, quam oportet, infrigides: quia cum quaſi ſplene careat ſimul & defečtione ſanguinis calore privatur.

Si hieme febriat.

XXXIV. Hieme vero ſi febrierit, ſupra dičtas ſpecies aridas contundito, diligenterque miſceto, & per ſiniſtram narem dato, ſanitas conſequitur. Febrientibus autem hæc potio utilis traditur: Mannæ thuris uncias 2 ſemis, yriſillyricæ uncias 6, piperis unciam 1, baccarum lauri, ſeminis apii ana 2 unciam 1, cum paſſo potionabis. Item poſt detračtionem ſanguinis de matrice aut de palato ſic po-

a) naturam minčturo ſimilis demittit S. M. b) *forte* herbæ portulacæ.

tionabis febrientem[a]: Hyssopi libram unam, abrota-
ni uncias 6, lactis caprini sextarium, amili[b] cyathum,
olei optimi uncias 3, herbæ urceolaris succi cyathum
unum, misce cum cæteris, & per cornu faucibus
infunde, erit salutare remedium. Item alia potio.
Lactis sextarium[c], olei cyathos 2, croci scrupulum[d] 3
1, mirræ[e] scrup. 2, appii[f] seminis cochlearium plenum,
miscebis pariter & dabis ad cornu. Hieme farinam
triticeam cum aqua tepida, æstate autem farinam
hordeaceam cum aqua frigida dabis in potum. Si
febrient, mensuram non des, iliorum autem loca
cauterio inurenda sunt, & usta curanda. Item alia
potio. Lactis caprini heminam, amili cyathum, 4
ova 4, olei cyathum, succum herbæ urceolaris quo-
tidie potum dabis usque ad sanitatem. Item unctio[g], 5
qua perfricandi sunt febrientes. Rosæ libram[h], olei
veteris libram 1, aceti heminas 3, lactis caprini li-
bram semis, portulatæ seminis & nucis amaræ ana
uncias 6, menthæ vel rutæ quantum expedit[i]: s.[k] te-
res & commisces, & tepefacto utere, ita ut diutis-
sime confrices contra pilum, & in loco tepido un-
ctum animal coopertumque statues. Item potio alia
si hieme febrierit. Gentianæ unciam unam, aristo- 6
lochiæ, hyssopi, absinthii, abrotani, singulorum un-

a) febriens jumentum S. M. b) amyli *rectius*. c) libram unam S. M. d) drach. unam S. M. e) *pro* myrrhæ. f) *pro* apii. g) unguentum quo S. M. h) semis *ins.* S. M. i) sufficit S. M. k) *Forte hæc s. fuit nota vocis* sufficit.

ciam unam, caricarum uncias 6, seminis apii uncias tres, rutæ fasciolum[a] 1[b], omnia in cacabo cum aqua decoques[c] ad tertiam, & cum nigrescere videris, coctum est. Exinde vini heminam misceto, sicut supra scriptum est, & per cornu faucibus infundito.

Si ab indigestione febriat vel pletura.

XXXV. Si quod jumentum ab indigestione vel pletura febricitaverit, naribus spiritum ducet, & ilia frequenter agitabit, anhelitusque erit fervens & aridus, spinam facilius flectet, nam qui ex perstrictione[d] febrit, rigidus est; quia calor membra dissolvit, frigus astringit. Ex pletura igitur febrienti copiosus sanguis emittitur de cervice, nares aceto
a perfricantur, ut sternutet sæpius. Venter quoque febrientis si durior fuerit, per anum injecta manu, stercus extrahatur[e], a cibo abstineat, paucissimum potum per intervalla suscipiat, & unctum supra scripto medicamine, diuque fricatum, loco stabit calido horis tribus aut quatuor coopertum, postea ad ambulandum producetur, nihilominus involutum.

Si ex vulnere oris aut faucium febriat.

XXXVI. Si quando ex vulnere aliquo vel suppuratione oris aut faucium nascitur febris, de tem-

a) fasciculum S. b) bonum S. M. c) usque *ins.* S.
d) perforatione S. M. perfrictione *verum*. e) egeritur S. M.

poribus, nec non etiam de palato detrahendus est sanguis. De maxillis quoque sive de cervice, & ad postremum quicunque locus febrienti doluerit, ex[a] eodem cum mensura sanguinem oportet auferri. Quod si cibum penitus respuerit, farinam aquæ mixtam ad cibi[b] instar faucibus ejus infundes. Offas quoque de passo facies justæ magnitudinis, & septenas cum oleo digeres, ut possit habere substantiam. Ita denique febrienti utilis est, ex quacunque parte detractio sanguinis fiat, si consideratis viribus animalis mensura servetur. Nam ut emissus rationabiliter[c] relevat, ita enormiter ablatus evirat[d] vel turbat.

De coactionibus, i.e. de nimia lassitudine.

XXXVII. Coactio in animalibus passionis est nomen, ex qua ægritudinum diversa genera nascuntur, ideo sic appellata, quod ab injuria vel labore vel ex coactione contingat. Quoties enim lassum animal fatigatione itineris, vel nimietate cursus, vel magnitudine ponderum, non studiose refovetur, vel æstate sitire, vel hieme algere compellitur, vel certe penuriam sustinet cibi[e], aut hordeo novo, aut fœno pessimo læditur; & per dies aliquot circa curam ejus nulla adhibetur industria; sic totius

a) idem fricandus est, & sang. S. M. b) clivi instantiam S. M.
c) humor *ins.* S. d) occidit S. M. e) convictus S. M.

corporis compago, & interiorum viscerum dispositio per injuriam & fatigationem vitiatur.

Quæ genera ægritudinum ex coactione nascantur.

XXXVIII. Ex qua coactione hæc passionum genera[a] nascuntur. Ex[b] perstrictione enim fiunt epistomici[c], podagrici, phthisici. Ex æstu autem evenit gravedo, febris, insania, capitis dolor. Ex sudore oritur tumor in cruribus, suffusio in pedibus, fe-
2 bris, spasmus & tussis. Ex humore quoque, qui de naribus profluit, passio apertissima declaratur. A cerebro enim[d] vel a capite venit multa pituita[e]
3 crebra & spissa. A perstrictione erit humor tenuis, aquaticus & frigidus: ex qua re fiunt coriaginosi & epatici & phthisici. A colibus & glandulis & arteriis humor erit candidus & viscosus, ex quo evenit fastidium & faucium præfocatio & synanche. A pulmone autem humor crassus, sanguinolentus & male odoratus[f] emanat, colore pallido. Ex qua causa fiunt peripleumonici, vomicosi, ortomici &
4 phthisici. A morbo autem malleo venit humor multus & crassus, & pallidus. Ex qua re fit ortomicus, profluvius Atticus, & suspirium articulare. A jecore humor erit lividus, yricus & viridis & tabi-

a) signa S. M. b) præfocatione S. M. *Leg.* perfrict.
c) epistetonici S. M. *forte* opisthotonici. d) vero S. M.
e) pravitas S. M. f) maleolens S. M.

dus, non valde crassus, neque olidus. Ex qua re ſunt sciatici, hydropici, febricosi. Ideo autem si- 5
gna passionum causasque divisimus, ne ingratus error noceret, & facilius evidens doctrina curaret. Absyrtus hujusmodi de coactionibus prodidit medicinas: Si equus, inquit, coactus de via venerit, oculi ejus intro abibunt vel versabuntur, spirat calidum frequenter atque suspirat, & auriculæ hujus ac reliquum corpus extensum erit. Cujus talis est curatio: ut parum hordei accipiat, fœnumque non multum. Potio autem hujusmodi 6
præparabitur, hyssopi, abrotani ana unciam 1, sampsuci uncias 6, fœnugræci libram unam, lini seminis pondo[a] duo: hæc omnia tusa & cribrata in cacabo novo cum sex aquæ sextariis infundis, addisque novem duplices ficus, quæ cum ad partem dimidiam decocta fuerint, universa conteres atque liquabis[b], præterea vini veteris optimi sextarios tres, 7
mellis heminam, piperis triti drachmam adjicies ſupra scriptis, rursumque fervere facies omnia, ex qua calidam potionem plurimis diebus dabis, quæ mirifice juvare consuevit. Si de labore itineris suf- 8
fusio pedum forte provenerit, cave ne sanguinem calido detrahas, sed requietum pausatumque flebotomabis, hujusmodi beneficio potionis usurus: Turis

a) libras duas S. M. b) item *ins.* S. M.

masculi drachmas 2, foliorum caprifici libram, gra-
na piperis 25, fermenti uncias 3, croci drachmam[a]:
9 Omnia bene trita in tres partes divides, & expau-
satum jumentum triduo cum oleo potionabis & vi-
no: si hiems fuerit, tepida os ablues, æstate[b] fri-
gida: si tardius, aut non recte ambulat, sulphu-
rem[c] & resinam calentem ungulis imponis, non se-
mel tantum, sed aliquoties donec rectus incedat.
Si vero ista non profuerint, semissabis eum, ut de
ungulis sagitta contactis competenter profluat san-
10 guis, & vulnera traumatico curabis pharmaco. De[d]
laxis[e] hæc signa erunt: toto corpore gravabitur, &
posteriora crura quasi inligata habebit: posca itaque
& pulegio nares ejus & totam faciem fovebis, pa-
nem & merum dabis ut manducet, offeresque ei
lactucas vel gramen diligenter lotum atque conci-
sum, consequenter daturus hujusmodi potionem,
11 Succum ptisanæ, passum, ova, oleum rosatum,
quæ omnia pariter mista per triduum dabis, ita ut
hordeum primo decorticatum siccatumque manducet.
Præmonendum autem est, ne jumento ex coactio-
nis injuria laboranti pulses venas calenti: continuo
enim nervorum contractio & debilitas consequitur.

a) quartam partem drachmæ S. M. b) si æstas S. M.
c) furfurem F. M. & S. M. d) Febris ex lassitudine hæc signa habet S. M. *cum lemmate novi capitis*. De febre & lassitudine. e) *Legendum* lassis: x & ss *millies miscent librarii*.

Oportet autem armos eorum & genua vino calido & oleo tepido suffundere, totumque corpus multorum manibus diutiſſime confricare, & loco statuere tepido, mollia [a] de ſiccato stercore vel de paleis strata præbere. Posteriorem [b] partem flebotomo laxis non oportet contingi, ne penitus evirentur [c]. Quod si venæ in cruribus tument, & plenæ sunt humore, de coronis sanguis auferatur.

De diverſis paſſionibus ventris.

XXXIX. Non minus multæ & obscuræ valetu-
dines in internis animalium quam hominum existere
consueverunt: imo si verum quærimus, prope pares
atque consimiles sumus. Nam animalibus, quia ra-
tionales sumus, sola mente præstamus: corporis ve-
ro natura communis est, maxime in doloribus. Do- 2
lorem ventris in jumentis veterinorum [d] imperitia
putat facile posse curari, quod grave, nescit: &
ex ventositate vel constipatione vitium, torsiones
vocant & interiorum incisiones, quibus aut præcan-
tationes [e] anicularum more, aut aliquod quasi physi-
cum remedium adferre conantur. Cum quid enim 3
intrinsecus jumentis dolere inceperit, statim se alli-
dunt & volutant, & solius ventris creditur esse

a) & supponere ei mollia, ut paleam S. M. b) autem *inſ.* S.
c) enerventur S. M. *gloſſema*. d) veterinariorum S. M.
e) verborum rationes S. M.

causa, cum plures & difficiles[a] sint passiones, ex quibus dolor & volutatio illa contingit: & nisi singulis pro causarum genere competens medicina subvenerit, sanitas redire non poterit. Efficaciter autem curare potest nemo, nisi qui internarum ægritudinum signa rationesque cognoverit.

De aqualiculo, i. e. stomacho.

XL. Primum venter ipse, qui aqualiculus nominatur, totius corporis obtinet dominatum, in cujus capacitate cibus potioque miscetur, ac per digestionem naturali calore decoctus, separatis humoribus, partem ad substantiam membrorum convertit in sanguinem, & partem in urinas resolvit, partemque
2 secum trahit[b] in stercora. Quod si loca illa præstrictio[c] longi temporis vitiaverit, intestinorum dolor, & corruptio digestionis necessario sequitur. Nam pars humoris coagulatur ex frigore, & fit conglutinosa in præcordiis, atque in intestinorum partibus, quæ ducuntur[d] ab aqualiculo usque ad colum[e], quod appellatur enteron, retinetur & hæret, quod Latine jejunum dicitur, per quod in colum humor pessimus transit, & interclusione sua cibum non patitur ad interiores partes more solito pervenire.
3 Hinc etiam tortura & extensio ventris dolorque cum

a) & diversæ *ins.* S. b) secernit S. M. c) *forte* perfrictio. d) ducunt S. M. *male*. e) collum F. *male*.

magno periculo generatur: quæ passio Græce emphragma, Latine præoccupatio dicitur.

De colo & coli dolore.

XLI. Exoritur & alia causa doloris asperior[a], quæ Græce chordapsos appellatur, cum præclusa intestina viscerum vento fumove se urgente colligant[b], usque eo, ut aquam, & cibum, & stercus animalia etiam interdum revomere cogantur. Præterea ad similitudinem hominum propter[c] inflationis injuriam, coli quoque dolore vexantur, propter quam necessitatem animalia diverse[d] vehementerque volvendo rumpuntur, quod curari jam non potest, & ideo moriuntur.

Cura longanonis & ilei.

XLII. Ilei[e] quoque vitia ex perfrictione[f] hujusmodi humoris nascuntur: qui cum intestina majora & præcluserit, & in eorum sinibus[g] stercora cœperit detinere: prohibet illa ad catachlytum longanonis decurrere (Longanon autem intestinum vocatur, per quod stercus egeritur) tunc venter crassus vel præclusione ipsa intra viscera increscit, ac sibimet dolores morsusque excitat vehementes, ex quo ju-

a) a superiori S. M. b) colligunt S. M. *sed melius* colligant: *fit enim nodus*. c) per instrictionis injuriam colicumque dolorem S. M. d) diu se v. v. rumpunt S. M. e) Aliqua S. M. f) præforatione istius S. M. g) renibus S. M.

menta se projiciunt ac volutant, extensisque pedi-
2 bus calcitrant: sed per impatientiam se sæpe jam ja-
ctando ventus increscit, & mixtus stercori usque ad intestina descendit, nec jam, ut supra, rumpitur, sed jumento, quod in vitium, qui Ileos vocatur (ex eo, quod intestina locis suis exclusa, animal quasi elices[a] facere faciunt) inciderit, ea valetudo
3 periculosa est, nisi cum celeritate subveneris. Hujusmodi autem sunt adhibenda remedia: Aqua calida renes animalis diutissime fomentabis, fœnumque cum calida, ut vapor magis penetret, frequenter apponis, post ciliciis[b] diligenter absterges[c], oleum vetus & picem liquidam, & oleum laurinum misces, calefacies, & diutissime perfricabis, ita & testiculos ejus perunges, & in auriculas calidum medica-
4 men infundes. Tam diu autem fricabitur[d], ut sudare incipiat & ventum emittere, ex quo spes ostenditur sanitatis. Quod loco calido statues, ac sagis[e] cooperies diligenter, hanc daturus quotidie potionem. Piperis grana quinquaginta, petroselinum quantum quatuor digiti comprehendunt, cimini[f] Alexandrini tantundem, cimini quoque Africani tantundem, semen apii, murram[g], nepitam, trixaginem, æquis ponderibus, quibus ad dimidiam omnium partem ni-

a) obices S. M. b) stramine S. M. c) item *ins.* S.
d) fricabis S. M. e) satis S. M. *male*. f) *pro* cumini *vel* cymini. g) *pro* myrrham, nepetam, trissag.

trum admiscere te convenit. Quæ omnia bene trita ex vino calido & oleo æquis ponderibus, & melle, quantum satis fuerit, dabis. Hæc autem potio & 5
calefacit, & ventrem resolvit. Quod remedium si tardius subvenerit, saccellos cum furfure calentes per[a] totum dorsum & renes animalis imponis. Clysteriabis[b] etiam ex aqua calida & oleo, quod cum sale & melle Afro[c], & nitro, ovoque miscebis, & ita ventre laxato, & stercora emittuntur & ventus. Quod si clyster defuerit, sal bene tritum & 6
mel coques[d], pastillosque longos & duros facies, & in anum jumenti interius immittes. Quæ res omnem spurcitiem humoris intus stantem abstrahit, & ad sanitatem perducit, nec est aliud, quod magis valeat subvenire.

Causæ & curæ strophi.

XLIII. Sunt animalia, quibus assidue ventris impendit[e] dolor, qui strophus[f] appellatur, & hac ratione concipitur. Interdum sudor animalium vel nimio cursu, vel labore[g] profluens, in internis residet intra ventris intestinorumque compaginem, qui punctiones doloresque præstat interius: & cum totum a labore cessaverit, ac refrixerit corpus animalis,

a) super S. M. b) clysterizabis S. M. c) Afronitro *conj.* Morg. IV, 13. d) & miscebis S. e) intervenit S. M. f) stropholus S. M. g) dolore S. M.

2 cessat & dolor. Sed cum a labore calefieri cœperit, rursus exoritur, & ideo strophus vocatur: nam frequenter volutatur, & cum surrexerit, terram pedibus tundit, & interdum terram quasi manducare conatur, & jacens videtur quasi pusillum requiescere, & surgens citius ambulare se cogit. Sed ex hac injuria frequenter volutando ventum sibi nutrit intrinsecus, & fit tympanites, ex quo & jumentum[a] rumpitur, & præsens vitæ periculum consequitur.

3 Quod vitium si in perpetuum auferre volueris, paracentesim[b] facies sic: Quatuor digitis sub umbilico veretrum versus, medio climate ventris sagittam injicies[c], ut non solum cutem, verum etiam peritonæum[d] ipsum aperias. Peritonæum enim dicitur membrana, quæ intestina omnia continet. Ad mensuram autem cum magna cautela peritonæum aperies, ne intestina lædas, & præsens discrimen inferas.

4 Post exemta[e] sagitta subjicies fistulam centimalem, quam mulomedici portare consueverunt, minutis foraminibus multisque pertusam, per quam[f] foras humor emanat, quem suscipies in vase, & invenies limpido lotio similem, tolles vero non minus sex-

5 tario. Hæc cura etiam illa animalia sanabit, quæ vel stupida vel macra sunt ex coactione longi tem-

a) omentum S. M. b) paracenth. *omnes*. c) ita *inſ*. S.
d) peticonium F. & S. M. e) exemtam ſagittam S. M.
f) fistulam *inſ*. S.

poris , quibus nitrum diligenter cribratum in hordeum debes aspergere, quod omnes asperrimos humores & spurcitias corporis purgat. Sed strophosis dabis potionem superius declaratam plurimis diebus. Etiam acopo termantico[a] renes eorum , totumque corpus perunges, & diebus aliquot a pluribus[b] facies confricari. Ad ultimum renibus eorum causticum induces, & sic revoces ad laborem.

De lumbricis, cossis, tineis & pediculis.

XLIV. Intolerabilem dolorem intestinis inferunt lumbrici, vermes & tineolæ[c], quas alii pediculos appellant. Nam coagula & aqualiculum intus erodunt & vulnera faciunt: ex qua necessitate animalia macrescunt, & coriaginosa[d] fiunt , & sine febre non erunt, & celeriter moriuntur. Hujusmodi passionis signum est, cum invenitur humor in ano fabæ coctæ similis: est namque sanies ex illis vulneribus , quæ bestiolæ intrinsecus fecerunt. Jejuna animalia ex hac necessitate[e] vehementius torquentur . Nam cum his deest cibus , magis vitalia consumuntur a vermibus. Hi[f] non sunt inflati, & tamen per[g] dolorem se volutant, & in spinam se projiciunt, & caput sibi intra pedes mittunt, & ostendunt doloris[h]

a) *pro* thermantico. b) plurimis S. M. c) tineæ minutæ S. M. d) gibbosa S. M. e) passione S. M. f) Hæc animalia n. s. inflata S. M. g) propter S. M. h) dolorem cum S. M.

sui locum, dentibus ilia sibi quasi scalpunt, & rodunt nonnunquam lumbos, & caudam parietibus confricant. Cum ista signa ostendere cœperint, & crebro clamare, hoc est, vehementer hinnire, scias eos jam morti esse vicinos. Quibus adhibetur ista
3 curatio. Olei viridis & amari sextarios 2, fasciculum absinthii Pontici concoques: præterea nasturtii seminis, santonici, coriandri seminis, radicum seminis, sinopidis Pontici[a] uncias singulas[b], mirtis[c] & fœnigræci selibram: hæc infusa & decocta in oleo illo facies permanere, ex quo heminam olei, & aquæ
4 tepidæ heminam dimidiam per cornu dabis: quæ virtus medicamentorum, & lenitas olei, animalia ipsa intus occidit, & foras ejicit. Ex qua potione si per multos dies acceperit, permixto nitro tunso & castoreo, omnes lumbricos & tineolas[d] & vermes discludit[e] a corpore, & cum stercore ejicit, & re-
5 stituit sanitatem. Alia potio ad lumbricos, tineolas & cossos: Santonici, absinthii Pontici pulveris, lupini crudi, seminis nasturtii, scobis cornu cervini, seminis radicum uncias ternas, sinopidis Pontici pastillos tres, pollinis ervi[f] uncias 3, vini austeri sextarios tres[g], olei Hispani[h] sextarium unum, opopana-

cis

a) Ponticæ *conj.* Morg. IV, 51. b) æquis ponderibus misce unciam unam & fœnugræci libram semis S. M. c) *forte* murti. d) vel cossos *ins.* S. *quod probat* Barth. 58, 18. e) excludit S. M. f) orobi S. M. g) quatuor S. M. h) Spari *legit* *Rhodius* *Lexico Scribo* p. 443.

cis unciam 1, seminis coriandri heminam: hæc omnia diligenter trita decoques, & quotidie jejunis heminas singulas dabis.

De clysteriis ad curam lumbricorum & tinearum.

XLV. Sed quia pestes ipsæ sæpius ad coagula se conferunt, & potio, quæ per os data, ad loca, ubi morantur, rarius pervenit, ideo etiam per anum adhibenda sunt clysteria : aceti acerrimi sextarium 2
unum semis, olei viridis tantundem, opopanacis unciam 1[a], centaureæ uncias 2[b], absinthii Pontici uncias 3, santonici uncias 3, farinæ lupini crudi uncias 3, ervi[c] uncias 3, seminis rafani, seminis coriandri uncias ternas, nitri triti uncias 3, radicis capparis tunsæ uncias 3, hæc omnia decoques cum oleo & aceto, & per triduum singulos sextarios bene calentes per anum de clystere diffundis animali.
Memento autem quoties per os potionem das, animal 3
contra clivum teneri debere, ut facilius, quod accepit ad interiora descendat: quoties autem clysteriabis[d], caput animalis in valle[e] statues, & clunes ad altiora convertes, ut quod per clysterem diffundis[f], ad interiora perveniat. Diutissime autem post potio-

a) uncias quatuor S. M. b) tres S. M. c) farinæ orobi S. M
d) clysterizabis S. M. e) pronum *infra* 1, 61, 1.
f) *forte* defundes.

Digitized by Google

nem in talibus locis animal retinetur, ut facilius necentur vel ejiciantur pestes internæ. Ad cossos
4 & lumbricos specialis potio. Herbæ cameleontis[a] radicem ex aqua ad tertiam decoques, & cum opopanacis duabus unciis misces, ac vini heminam, &
5 ad cornu per sinistram narem diffundis[b]. Item alia ad lumbricos. Seminis coriandri quantum una manus ceperit friges, nasturtii quoque seminis tantundem diligenter teres, quæ utraque cum aqua tepida per triduum faucibus infundes. Ad matricis dolorem medicamen. Aloe epaticum[c], masticem, castoreum, lauri baccas, amoniacum[d], vino & melle mittis in ollam, & bullita atteres, dabisque ad bibendum.

De calculosis jumentis.

XLVI. Si quod jumentum calculosum fuerit, hæc signa monstrabunt: torquetur, gemit, extendit se ad conatum mingendi, stillat veretrum ejus guttis[e] materiam, modicum mingit, & plene mingere non potest, quod quotidie patitur. Sed hujusmodi vitium teneris ætatibus plerumque contingit,
2 quod sic invenies: Manum ad interiorem partem mittes, & a cervice vesicæ sub ipso ano ad hippocentaurum versus palpabis digitis, & calculum ibi

a) *pro* chamæl. b) infundis S. M. c) *forte* aloen hepaticam. d) *forte ins.* cum. e) guttas & urinam modicam mittit, ex pleno S. M.

Digitized by Google

invenies. Quod vitium difficile curatur. Nam interdum nimio conamine prope ipsum anum vesica disrumpitur, & lotium per anum emittit, & quasi aquæ adsimilatur. Ideoque missis digitis per foramen, quod fecerit longanonis, & ipsius vesicæ, aculeo calculum eximis, & curabis clysteriis collecticiis[a], (id est, quæ glutinent,) ut foramina illa sanentur. Potionabis autem illos duritica[b] potione. Difficilis autem hujusmodi cura est, quia vim patientes ex corruptione vesicæ tortione moriuntur.

De emphragma.

XLVII. Quodcunque jumentum ex qualibet causa[c] inveneris volutare[d], oleo manum perunges, & ipsum anum oleo satiabis[e]: post quod manum in interiorem partem longanonis protendis, & si inveneris ipsum longanonem clibano subtili[f] patere, scias eum strophum pati, & continuo stercora ejicies paulatim ad manum[g], quibus egestis cito noveris animal percurandum. Si vero manu injecta longanonis præclusionem inveneris, & stercoris modicum, hoc est, duas aut tres pilulas[h] squibala[i], & præfocatum longanonem, qua manus vix introeat, scias eum emphragma pati & periclitari, & ideo curandi sunt

a) collecticis S. M. b) disuretica *Leg.* diuretica. c) se *ins.* S. d) statim *ins.* S. e) sanabis ponesque S. M. f) similem S. M. g) anum S. M. *male*: ἡ *ad* notat instrumentum. h) pillulas *editi*. i) squibala sunt σκύβαλα.

renes medicaminibus supra scriptis, & clystere utendum, quod indignationem intestini resolvat & curet.

De ileo.

XLVIII. Si manum injeceris, & totum ventrem tympano similem pertractando senseris, scias eum ileum pati, & cito periclitari. Et ideo unctionibus calidis fricandus est vehementer & diu. Si ventum cœperit emittere, tunc in illo spes incipit esse vivendi.

De dolore ventris.

XLIX. Item si manum miseris, & inveneris valde patere[a] longanonem, & stercora non multa habere, nec esse vehementer inflatum, scias ipsum ventrem dolere, id est, aqualiculum. Cito requiescere solet, si celeriter supra dictas & calidas acceperit potiones, diligenterque ex calido unguento fuerit perfricatum. Si moram curationis non abstuleris[b], difficile evadet: nam ex hac passione chordapsus fieri consuevit.

De dolore coli.

L. Si manum miseris, & similiter longanonem patere[c] sine ulla inflatione, repereris, & non fre-

a) pati F. & S. b) attuleris S. M. c) pati F. & S.

quenter volutantem se, sed projicientem subinde in dexteram partem, & quasi extensionem[a] interdum ad conamen[b] minctionis, invenies duritiem in intestinis ingentem cucurbitæ similem, scias animal coli dolore vexari: & quanto durius intestinum inveneris, tanto pluribus diebus dolore cruciatur. Ex qua causa raro periclitantur, & dolent biduo, vel triduo, vel si nimium quinque diebus. Sed quanto inveneris molliorem ipsum locum, tanto velocius mitigabitur[c] dolor: nam quædam stercora in longanone reperies: & erit salubris curatio, si post clysterem vel potionem multum stercoris adsellatus[d] ediderit. Quo facto, statim intestinum, quod a colo induratum fuerat & tumebat, non apparebit, reddita sanitate.

De dolore vesicæ.

LI. Si (vesica) currendo fuerit inversa, similis dolor sine inflatione ex cursus injuria & nimietate frequenter emergit. Huic manum subjicies in anum, & deprimes usque ad veretrum versus, ubi invenies vesicam ejus lotio plenam, quam a dextra & sinistra parte leniter adducis sursum ad anum versus[e] (cum oleo,) & minctionem provocas, tam diu donec urinam faciat: liberabitur periculo, de quo animalia difficile evadunt.

a) extendentem se S. M. b) conatum S. M. c) refrigerabitur S. M. d) reddiderit S. M. e) & deprimis *int*. S.

Coſsi & lumbrici qua cura tollantur ad manum.

LII. Sunt alii, qui assidue dolorem ventris patiuntur sine ulla inflatione, nec vehementer se volutant, & quasi in cursu provocant, aliquando se projiciunt, & ilia sibi corrodunt, & quasi scalpunt. In hujusmodi dolore manum immittis in longanonem per circuitum & interiore parte per plurima loca diligenter tentabis, & invenies vermes collectos exisse in singulis locis, & intestinum pertundere: ex qua necessitate nascitur dolor periculosus.
2 Digitis evelle eos, qui quidem vix evelluntur, & ipsa[a] tibi in manu cohærent[b], ut difficile eos projicias: ex qua ratione[c] multa jumenta caudam frequenter parietibus fricant, propter morsum vermium, quos purgare de longanone studiose debebis, & potionem dare per plurimos dies eam, quæ ad lumbricos faciat: ita omnes vermes, quos cossos ap-
3 pellamus & tineolas, purgabis. Similiter etiam, qui lumbricos habent in ventre, sic eos convenit mederi. Pice liquida & oleo calido renes & totam spinam cum dorso perfricari oportet tam diu, donec calefactionem patiantur ex manibus: & auriculas eorum & anum ex oleo complebis: ventrem
4 quoque & testiculos perunges: sal tritum cum mel-

a) hora *ins.* S. b) ita *ins.* S. c) occasione S. M.

le decoctum mixtum in anum subjicies, animal (potionibus) crebris ambulationibus potionatum exercebis. Si ex hac ratione non mitigaverit[a], clysteriabis eum calida, & afronito & sale. Praeterea super renes & dorsum saccellos[b] calidos ex furfure plenos imponis, & tam diu innovabis calefactionem donec ventum reddat. Potionabis cum[c] potionibus supra dictis & clysteriis, ut a discrimine liberetur.

De syncopatis & confixis.

LIII. Si quod jumentum syncopaverit, his agnoscitur signis: Pigrius ambulabit, tanquam suffusione[d]
constrictum. Inter suffusos autem & syncopatos hæc
distantia est, ut suffusi, licet tardius a terra levent
pedes[e], flectentes crura incedere solent: Sincopati 2
autem universo corpore constricti & rigidi sunt,
etiam cum se projiciunt, non sine gemitu & toto
corpore decidunt. Hi vero non sine febre erunt,
cibum & potum fastidiunt, magis jacere cupientes:
qui cum se levare voluerint, impetu conantur exurgere, sed propter dolorem omnium membrorum
tardius exurgunt. Quod contingit ex magno labo- 3
re & cursu nimio, vel ex humoribus[f] nimiis, cum
plurimus sudor fatigatis nervis membra conquasset,

a) refrigeraverit, clysterizabis S. M. b) saccellationes calidas — plenas — calefactas S. M. c) autem S. M. d) suffusionem constrictam patiatur S. M. e) tamen *ins.* S.
f) oneribus S. M.

Digitized by Google

unde [a] syncope, id est, defectio nascitur: cujus ista curatio est. Calida cum flore fœni eum fomentabis a spina, armis & renibus, tepefactumque diligenter tergendo siccabis, tunc vino & oleo calido totum perunges, diutissimeque confricabis: coopertum deinde locis calidis statues, molliaque [b] substernes, ut
4 dormiat. Quod cum per triduum feceris, hac potione refovebis. Mirræ [c] uncias 2, draganti uncias 4, croci drachmas 4, meliloti unciam unam, anagallici [d] libram, thuris masculi pondus [e] unum: quæ omnia cribrata in pulverem rediges, ex quo duo cochlearia cum aquæ calidæ hemina, & mellis cochlearibus duobus, & olei rosei cyathis duobus potionem dabis plurimis diebus, donec sanum fiat. Etiam vulsis hæc potio, & tensione laborantibus prodest.

De his, qui sanguinem per nares emittunt.

LIV. Sæpe ex cursu nimio jumenta sanguis infestat, & per nares emanat, qui difficile, veluti ruptis venis labore & calore, substringitur, & velocissimam etiam postulat medicinam. Succum [f] itaque viridis coriandri, vel si defuerit, porri sativi [g]

a) & syncopis & defectio S. M. b) mollissima quoque S. M.
c) *Pro* myrrhæ. d) Symphici S. M. *pro* Symphiti *forte* ali Gallici *hic* & 54 *it.* 1, 56, 19. Vid. Morg. IV, 36.
e) unciam unam S. M. f) Succum — infundes *om.* S. M. & *hæc ponit*: Quibus sic subvenias. g) sectivi *conj.* Morgag. IV, 14.

Digitized by Google

succum in naribus periclitantis infundes: pollinis triticei drachmam[a], thuris pulverizati drachmam 1, anagallici[b] unciam 1, amyli semiunciam, commixta & in tres partes divisa, ex vino nigro suffundes naribus, sanguinemque præcludes.

De infestatione sanguinis.

LV. Animal sanguine laborare hæc signa declarant: Oculi tumebunt, frigidum erit corpus & cervix, tristitia fastidiumque jungetur, difficileque curabitur[c]. Hac ratione curandum[d]. A cibo potuque temperabitur, somnique[e] indulgebitur copia mollibus stratis, tum de matrice, quantum ratio postulaverit, sanguis auferatur, nec potionis cura cessabit. Succum itaque viridis coriandri, vel si defuerit, porri sectivi, trixaginis quoque & centaureæ violaceæ, & nitri æqui ponderis mixtura inungitur. Ex quibus tunsis atque cribratis diurnum cochleare ex hemina aquæ tepidæ infundatur faucibus. Quæ potio humores & sanguinem, imminentesque[f] alios morbos purgat, prohibet & sanat.

a) unciam unam S. M. b) consolidi majoris S. M. c) cubabit S. M. d) sanandum est S. M. e) somnoque indulgebit copiose S. M. f) minuens S. M.

Digitized by Google

Quæ adhibenda est diligentia, ut animalia sana perdurent.

LVI. Obscuras difficilesque curas prima fronte digessimus, consequenter ad cætera pergentes: sed necessarium credimus ostendere rationes, ex quibus
2 incolumitas jumentorum incorrupta servetur. Melius enim est diligenti studio custodire sanitatem, quam ægritudinibus[a] præstare remedia. Diligens itaque dominus stabulum frequenter intrabit, & primum dabit operam, ut stratus[b] pontilis emineat, ipsumque sit non ex mollibus lignis, sicut frequenter per imperitiam vel negligentiam evenit, sed roboris vivacis duritia & soliditate compactum. Nam hoc genus ligni equorum ungulas ad saxorum instar
3 obdurat. Fossa præterea, quæ lotium recipiat, deductorium debet habere cuniculum, ne pedes jumentorum redundans urina contingat. Patena, quæ appellatur, hoc est, alveus, ad hordeum ministrandum, sit munda semper, ne sordes aliquæ cibariis
4 admisceantur & noceant. Loculi[c] præterea vel marmore vel lapide vel ligno facti distinguendi sunt, ut singula jumenta hordeum suum ex integro nullo præripiente[d] consumant. Nam sunt animalia ad eden-

a) ægrotantibus S. M. b) cum stratum pontile S. M. *forte leg.* constratum pontile. c) Loculis — factis distinguenda est S. M. d) impediente S. M.

Digitized by Google

dum avidissima, quæ cum celeriter propria devoraverunt, partem consortis invadunt. Alia vero naturali fastidio tardius comedunt, & nisi separatim acceperint, vicinis rapientibus macrescunt. Cratis, 5
quæ jacca vocatur a vulgo, pro equorum statura nec nimis alta sit, ne cum injuria[a] guttur extendatur, nec nimis humilis, ne oculos contingat aut caput. Luminis plurimum stabulo infundi oportet, ne te- 6
nebris assueta, cum producuntur ad solem vel caligent, vel aciem visus imminuant. Æstate in apertis locis, tam noctibus quam diebus, jumentis libera aura præstanda est: hieme vero tepere debent stabula potius, quam calere: nam nimius calor li- 7
cet custodiat pinguedinem & reficere videatur, tamen indigestionem facit, & vehementius nocet naturæ. Propter quod diversa genera morborum ex vapore ipso animalibus generantur. Si producuntur ad frigus insolitum, statim ægritudinem ex frigoris novitate percipiunt. Curandum est præcipue, ut 8
sive fœnum, sive paleas, vel manipulos viciæ pro regionum usu vel copia animalibus præbeas, incorrupta ac bene olentia & munda mittantur. De hordeo quoque non erit sollicitudo dissimilis, ne aut pulverulentum sit, aut lapidosum, aut mucidum, aut vetustate corruptum, aut certe recens

a) inedia aguntur extendant S. M.

Digitized by Google

de areis sumtum, & ipsa novitate præfervidum[a].
9 Aqua etiam limpida ac frigida, etiam perennis ac
profluens ministranda est. Nam quicquid importu-
10 nius[b] fluit, virus non admittit. Bis in die multorum
manibus animalia sunt toto corpore confricanda:
quæ cura & mansuetudinem docet, & laxata cute
pinguedinis præstat augmentum. Hordeum quoque
non semel nec bis, sed pluribus portionibus præberi
conveniet: quidquid enim paulatim acceperint, le-
gitima digestione conficiunt: quod vero semel &
enormiter sumserint, cum fimo indigestum integrum-
11 que transmittunt. Vicinum vero stabulum[c] convenit
esse loco arido, stercore[d] vel paleis mollibus ado-
pertum, in quo ante potum animalia volutentur.
Quod exercitium & sanitati proficit, & ægritudinis
vitium[e] commonstrat: nam quoties animal, aut non
solito more se transvolvit, aut omnino detrectat[f] ac-
cumbere, scias illud ex tædio laborare, & ideo se-
12 parari debere, atque curari. Ad quod opus quoque
plurimum juvat, si sæpius & cum moderatione ani-
malia sedeantur[g]. Nam imperitia rectoris & incessus
eorum debilitat, & mores, præcipue servorum im-

a) præferendum F. S. b) in potu noxium est virus veneni conitatur S. M. *Sed recte ut editum*; *nam* capiunt vitium ni moveantur aquæ. c) stabulo convenit esse locum arido stercore vel paleis lenibus opertum S. M. *recte putat* Gesn. d) stramine *conjicit* Morg. IV, 12. *legendum hic & alias*. e) initium S. M. *bene*. f) desinit S. M. g) equitentur S. M. *glossa*.

patientia[a], qui absentibus dominis ad cursum equos
vehementer stimulant, & non solum flagellis, sed
etiam calcaribus[b] cædunt, dum aut inter suos velo-
citatem cupiunt experiri, aut cum alienis vehementi
obstinatione contendunt, nec revocant aliquando
currentes, nec temperant: neque enim de damno
domini cogitant, quod[c] eidem contingere gratulan-
tur. Quam rem diligens paterfamilias summa seve- 13
ritate prohibebit, & jumenta sua idoneis & mode-
ratis hominibus, scientibusque tractare committet[d].
Post sudorem quoque, si æstus sit, pusca[e] os ablui[f] 14
convenit: si hiems, muria. Vinum quoque & oleum
faucibus infundi oportebit ad cornu, æstate frigi-
dum, hieme tepefactum, ita ut hieme meri sexta-
rio, olei unciæ tres, æstate autem duæ tantum-
modo misceantur. Nec convenientium potionum de- 15
bet cura cessare: nam languor, macies, & tussis,
& internorum dolor facile submovetur, si sulphuris
vivi semiunciam (1. scrup. 12) myrrhæ scrup. 4 re-
dactos in pulverem, ovoque crudo immixtos cum
hemina vini optimi per os dederis[g]. Est[h] alia sum- 16
tuosior[i], sed accommodatior potio ad omnes morbos,
quæ & celeriter reficit, & cum intrinsecus purga-
verit, curat omnes morbos, tussim veterem, phthi-

a) *forte* impotentia *h. e.* libido & petulantia. b) calcibus S. M.
c) dum contingit grat. S. M. d) permittet S. M. e) *pro* posca. f) lavari S. M. g) frequenter infundes S. M.
h) & *ins.* S. i) quidem *ins.* S. M.

sicos, vulsos, & quæcunque vexata sunt in opertis[a].
17 Ptisanæ sextarium 1, seminis lini heminam, fœni-
græci heminam, croci unciam 1, acronem salsum
porci pinguis, vel longanonem, vel, si porcina de-
fuerint, caput hædinum depilatum, cum pedibus suis,
& cordulis intestinorum mundis, hyssopi fasces duas,
cochleas germanas xv, bulbos xv, ficus duplices xx,
rutæ fasciculum 1, baccarum lauri, cum virent,
sextarium, dactylos xx, allii capita tria, sevi capri-
18 ni uncias 6, pulegii sicci fasciculum: hæc omnia pur-
gata leniterque contusa decoques in aqua cisterni-
na, donec acron ille, vel certe caput hædi lique-
scat & dissolvatur ab ossibus: propter quod assidue[b]
aquam refundis, ne comburatur, sed fervendo pin-
19 guescat, vel succus ipse pinguior efficiatur. Post hæc
diligentissime colabis ad colum, tum draganti un-
ciam 1 in tres divides partes, ita quod exinde in
unam potionem missurus es, pridie infundas in ca-
lidam, ut inturgescat: tunc addis passi sextarios 3,
& tribus diebus singulos sextarios dabis, ova nume-
ro sex; (in die secundo olei rosati ova plena nume-
ro 2) butyri uncias 3, (in die tertio) anagallici un-
cias 3, amyli uncias 3, pulveris quadrigarii selibram,
20 lomenti fabæ selibram. Quæ omnia misces, ut di-
ctum est, æquis ponderibus per triduum divides, &

a) locis *ins.* S. *Cæterum & fere potio describitur* 4, 8, 1 sq.
b) sæpe S. M.

jejunum animal potionabis, & horis aliquot deambulare facies, usque ad septimam a cibo abstineatur & potu. Animalia vero macie attenuata non absque 21
studio diligenti revocantur ad corporum firmitatem[a]. Nam oleo veteri vinoque permixtis, & tepefactis in sole, per totum corpus unguntur, & contra pilum multorum manibus perfricantur, ut & nervi mollescant, & cutis laxetur, & sudor erumpat. Quo facto cooperta in pontili[b] strato collocentur; & si hiems fuerit, condita cum semiuncia apii se- 22
minis[c] triti, & olei tribus unciis calefacto per os ipsius oportet infundi. Si æstas fuerit, absinthium vel rosatum cum 4[d] scrupulis croci, & duabus unciis olei frigidum per os similiter debet accipere. Quorum si non suppetit copia, vinum[e] simpliciter convenit præberi cum cæteris. Præterea ejusmodi spe- 23
cies tempore hiemis cum hordei modiis 4 misces, fabæ sextarios 8, tritici sextarios 4, ciceris sextarios 8, fœnigræci sextarios 4, ervi sextarium 1, & si meritum equi vel facultas domini suppetit, uvæ passæ & nuclei sextarios singulos: quæ omnia 24
sollerter commista cum fuerint, unum modium in aqua mundissima pridie debes infundere, & paululum mane siccare, ex quo equo semimodium[f] ante

a) sanitatem S. M. b) loco tepido S. M. c) seminis *om.* S. M. d) tribus S. M. e) unum S. M. *mox* præbere. f) semodium S. M.

prandium, & semimodium ad vesperam dabis per plurimos dies in loco optimo: viginti uno die ita
25 stabuletur, ut intrinsecus bibat. Quod si ultra modum sagina provenerit, ne pletura noceat, auferendus est sanguis a matrice. Præterea graminum radices, quas aratrum frequenter evellit[a], studiose collige, & quam potueris longas minutatim concide, hordeoque commisce, & quotidie præbere non
26 dubites. Æstate vero, excepto ervo, species illæ, quas diximus, pro æstimatione mensuræ farragines ad invicem præbeantur, hoc est, hordei viridis plures majoresque fasciculos[b], tritici vel ciceris vel fœnigræci minores & pauci. Quæ omnia contusa[c]
27 oportet apponi. Præcavendum tamen, ut in longiore vectatione vel itineribus, jumentis urinæ copia non negetur, quæ res non sine periculo plerumque differtur. Pedes quoque eorum post viam eruendi[d] sunt diligenter, ne quid luti vel sordium
28 in articulis basique permaneat. Unguento etiam confricandi sunt, quo ungulæ nutriantur, & medicaminis beneficio subcrescat, quod itineris attri-
29 verat injuria. Allii capita tria, rutæ veteris[e] fasciculum, aluminis scissi[f] & cribrati uncias 6, axungiæ ve-

a) evertit S. M. b) fasciculi S. M. c) commixta S. M.
d) abluendi S. M. *forte verum* eluendi: *quin ipsum* eruendi *ad purgationem referri potest magis solicitam.* e) viridis S. M. *quod probat* Gesn., *ut* 1, 57, 1 viridis apii.
f) tunsi S. M.

veteris pondo 2, stercoris asinini recentis manum
plenam, quibus commixtis atque decoctis domi, ut
volueris in itinere uteris ad vesperam. Præterea
aliud, quod ungulas nutrit & firmat. Picis liquidæ 30
libras 3, absinthii libram 1, allii capita 9, axungiæ
libram 1[a], olei veteris libram semis, aceti acrioris[b]
sextarium unum, universa contundes & misces, &
decoques, & ex eo coronas vel ungues animalium
confricabis. De palatis singulis mensibus minuente 31
luna sanguis detrahetur: quo facto, si qua est, ca-
pitis passio relevatur, & ciborum fastidium tollitur.
Oportet autem ferramento concisorio animalium so-
leas ramulasque[c] purgari, quod evaporat atque re-
frigerat, & fortiores ungulas reddit. Si animal do- 32
mi forisque[d] perfrixerit, calidioribus unguentis, quæ
multa sunt, lumbi eidem confricentur & cerebrum,
potionibusque & pigmentis, & herbis, quarum fer-
ventior est vis, per os continuo oportet infundi,
ut perfrictionis[e] incommodum evincatur atque pella-
tur. Nam si in visceribus permanserit algoris in-
juria, diversos periculososque procreat morbos. Si 33
vero dierum canicularium tempore æstu animal fa-
tigabitur, vel aquis frigidis est perfundendum, vel
in mare flumenve mittendum, frigidis etiam potio-

a) libras tres S. M. b) acerrimi S. M. c) ungulasque S. M.
d) vel foris friguerit S. M. e) frigiditatas S. M. *putat* Gesn.
frigiditatis *glossema*.

nibus recreandum, ut necessitati laboris aut temporis
aptior medicina succurrat. Sed in equis non solum
utilitas, verum etiam decoris ratio servanda est.
Nunquam itaque, nisi necessitas passionis exegerit,
34 de articulis resecandi sunt cirri. Naturale enim[a] or-
namentum pedum natura[b] in illis constituit. Cer-
vicem etiam ipsam diligens debet ornare tonsura.
Multi enim sicut curulibus[c], ita & sellaribus jumen-
tis pressius[d] colla radunt. Quæ res licet præstare
creditur[e] augmentum, tamen sub honesto sessore de-
35 formis est. Alii ita tondent, ut arcum videantur
imitari. Nonnulli Armeniorum more crines[f] aliquos
in tonsura ipsa per ordinem derelinquunt, sed gra-
tiora sunt, quæ translata de Persis posterior usus
invexit[g]. Nam media juba ad omnem accurationem
ex sinistra parte tondetur, a dextra vero omnino
36 insecta servatur. Et nescio quo pacto plurimum de-
ceat, quia illud, quod naturaliter laudat[h] Vergilius[i],
imitantur:

Densa juba, & dextro jactata recumbit in armo.

Quod si bicomis fuerit, ut vulgus appellat, mediæ
cervicis setas æqualiter oportet attondi[k], ita ut tam

a) autem S. M. b) ipsa *ins.* S. c) clitellaribus S. M. currulibus *Edd.* d) studiosius S. M. *sed* pressius *rectum*, *ut* Nov. 9. e) *pro* credatur. f) cirros S. M. g) introduxit. Nam a sinistra parte medietatem cirrorum tondere jubent: a dextra vero omnes intactos servant S. M. h) laudatur Virg. imitatur F. S. i) Georg. 3, 86. k) tonderi S. M.

dextri, quam sinistri limitis continuata serie jubæ
relinquantur intactæ. Quod nihilominus inventum 37
constat a Parthis, quibus consuetudo est, equorum
gressus ad delicias dominorum hac arte mollire:
non enim circulis atque ponderibus prægravant, ut
soluti ambulare condiscant, sed ipsos equos, quos
vulgo Trepidiarios, militari verbo Tottonarios vocant,
ita edomant ad levitatem, & quædam blandimenta
vecturæ, ut Asturconibus similes videantur.
In sicco itaque æqualique solo quinquaginta passus 38
in longum, & quinque in latum plenis cophinis digeritur
per ordines creta, ad similitudinem stadii,
quod aulicibus [a] asperius sit, tum difficultate [b] coronam
velocitatis optantibus ingerit, in quo spatio [c] cum
equus frequentissime exerceri cœperit, in illos aulices
necessario offendit, & priores & posteriores
ungulas impingit, & aliquando vel cadit, vel sic
offendit, ut cadere videatur, post quod admonitus
injuria, tollit altius crura, & inflectione [d] geniculorum
atque gambarum molliter vehit. Præterea 39
minutos gressus imitatur, ut inter aulices ungulas
ponat: nam si extendere voluerit, offendit in cumulum.
Minutim autem equus ambulans commodius
vehit, & pulchrius videtur incedere. Potiones etiam
hiemales æstivasque conscripsimus, quibus aut con-

a) *forte* aulacibus αὔλαξι sulcis. b) *Quid si* difficultatem? Gesn. c) loco cum pullus S. M. d) *pro* inflex.

servetur sanitas perpetua, aut vehemens[a] ægritudo pellatur.

Potio æstiva.

LVII. Dum æstus incanduit[b], hæc potio animalibus commoda[c] est, quia humectat & refrigerat: Croci unciam[d] unam infundes in vino veteri, draganti uncias tres infundes in aqua calida, his adjunges fasciculum viridis porri 1, item fasciculum viridis apii[e], herbæ portulacæ succi heminam, lactis caprini sextarios tres, ova septem, olei rosei libram, mellis uncias 3, passi sextarium 1, vini veteris, quod sufficiat: ex quibus omnibus diligenter commistis atque contritis, ad cornu per triduum sex-
2 tarios singulos animalibus dabis. Alia quoque refrigeratoria potio: Vini veteris sextarium, olei libram semis, ova tria, succi coriandri cyathum 1, lactucarum[f] cyathum 1, sollerter admisces[g], & in tres divides partes, daturus per triduum jumentis æstuantibus, salutare remedium. Tamen[h] eo momento, quo potionem defusurus es, per singula animalia singulas heminas aquæ frigidæ & recens sumptæ potionis debes adjungere.

a) veniens S. M. b) æstas fervescit S. M. c) utilis S. M. d) uncias tres S. M. e) apii virginis S. M. f) succi lactucæ S. M. g) commisces S. M. h) addendo hora, qua datur potio, heminam aquæ frigidæ S. M.

Digitized by Google

Potio hiemalis.

LVIII. Hieme quoque potio ista præbetur: Vini veteris sextarios 3, olei selibram, piperis unciam 1, rutæ viridis uncias 6, cerefolii[a] viridis vel seminis ipsius uncias 3, draganti uncias 3, seminis feniculi uncias 3, baccarum lauri unciam 1, mellis uncias 6[b], ova quot volueris, & passi quantum usus exegerit.

Potio in autumno & vere præbenda.

LIX. Vere vero & autumno hæc detur potio. Costi semiunciam, cassiæ fistulæ unciam, Celticæ semiunciam, petroselini semiunciam, betonicæ semiunciam, glicericæ[c] semiunciam, sagapini semiunciam, spicæ Indicæ semiunciam, saxifragæ, eupatorii, meliloti, iris Illyricæ, ana semiunciam, centaureæ, gentianæ, aristologiæ[d] longæ, ana unciam 1, amomi, aristologiæ rotundæ, ana semiunciam, scinoanthos[e] semiunciam, asari, aloes, ana semiunciam, murræ unciam, opopanacis, radicis draconteæ, ana semiunciam, croci unciam, draganti uncias 6, castorei unciam, absinthii Pontici fasciculos 2, hæc omnia in pulverem redacta ad XII

a) cæpullæ S. M. b) duas S. M. c) *pro* glycirrhizæ. d) *pro* aristoloch. e) *pro* schoenuanthos.

animalia[a] per triduum sufficere creduntur, ita ut cum vino optimo digerantur[b].

Potio omni tempore necessaria.

LX. (Alia potio, quæ omni tempore exhibetur.) Costi, meliloti, hyssopi, iris Illyricæ, aristologiæ, sampsuci, dracontii, asari, draganti, centaureæ minoris, marrubii, gentianæ, spicæ Celticæ folia, æquis ponderibus misces, redactaque in pulverem cernes: sed si æstivam dare volueris potionem, commisces croci, mellis, & draganti quod sufficiat. Si autem potionem facies hiemalem, addis seminis piperis, apii seminis, & seminis sinapis. Utroque autem tempore cum boni vini sextario plenum cochleare miscetur, faucibusque animalium diffunditur.

De difficultate urinæ.

LXI. De urinæ difficultatibus ordine suo multa dicenda sunt, sed viatorium[c] istud, & physicum, & semper paratum te scire convenit. Lutum ex cujuscunque equi lotio factum vino permisces, colatumque per nares infundes, & confestim provocat urinam. Item allium conteres & in anum[d] injicies

a) cochlearia S. M. b) misceantur. c) in adjutorium istis physicum remedium semper S. M. d) naribus S. M. *an aliquis legit* natibus?

& veretrum, mox egerit lotium. Item, pulverem
quoque thuris cum ovo vinoque permixtum, addi-
to succo apii & caulium, si potionem[a] dederis, pro-
vocabit urinam. Item, betas ac malvas ad ter- 2
tiam decoques, ex quibus aquam calentem ad me-
dium sextarium cum melle commisces, & per os
digeres[b], proderit minctioni. Item, cimicem quo-
que vivum in aurem equi mitte, & alterum[c] supra
naturam in ipso foramine, quo mingit confrica,
facillimum certumque remedium est.

De stropho.

LXII. Itinerum casibus subvenire cupientes, de
pluribus[d] pauca, sed manifesta libabimus. Nam ani-
malia sub sessore[e] vel onere dolor ventris frequenter
affligit, ut volutentur & procumbant. Semen ita-
que rutæ silvestris vel hortensis, si illa defuerit,
diligenter tritum cum vino calido per fauces opor-
tet infundi. Præterea aquam, in qua usque ad ter-
tiam betæ decoctæ sunt, succumque earum nitro
trito sollerter admisces, oleique addes heminam,
tepefactaque in intestinum per clysterem diffundes,
cum prius pronum animal statueris, ut injectum ad
interiora perveniat[f]: quæ si forte defuerit[g], mel co- 2

a) *Malis forte* in *vel* cum potione. Gesn. b) ad cornu dabis, statim confert S. M. c) in foramen virgæ. Certum remedium est S. M. d) plurimis S. M. *mox* dicamus. e) sessione S. M. f) decurrat S. M. g) defuerint S. M.

ctum cum tertia parte salis triti cogis[a] in pilulas; ita ut collyria ad ovi magnitudinem facias, similiterque prono animali in intestinum vel quinque, vel septem, aut novem collyria inserere curabis: post[b] solvitur venter & mitigatur dolor. Item, physicum traditur os limacis neque manu immunda, neque terra, neque dente contactum alligare umbilico dolentis curare continuo.

De dorso curando.

LXIII. Plerumque dorsum animalibus aut sarcina[c] lædit, aut sella, propter stramenti[d] negligentiam vel oneris injuriam: quod in itineribus interdum necesse est evenire, sed recens tumor hac ratione curatur[e]: mallonem ceparum vel ipsas cepas in ferventi aqua decoques, & calentes, quantum corium valet sustinere, tumori superimpones, & fascia ligabis: una nocte omnis aufertur inflatio. Præterea sal tritum cum aceto miscebis, additoque vitello ovi, loca, quæ tumere cœperint, perfricabis, recens indignatio destricta siccabitur.

a) reducis S. M. b) quod *inf.* S. c) ſigma S. M. *an* sagma?
d) sternentis S. M. *recte*. e) pellatur S. M.

De potione probatissima, diapente.

LXIV. Cui[a] curæ est animalium salus, potionem superius declaratam, quam specierum numero diapenten[b] Græco vocabulo nuncupant, gentianæ, aristologiæ, murræ, baccarum lauri, rasuræ eboris, paria pondera diligenter trita atque permixta, domi, sive in itineribus prius condita, habere oportet in promtu, ut quoties[c] mœstum aut horridum videris animal, aut morbi alicujus labe tentatum, statim plenum cochleare ex pulvere memorato cum sextario vini optimi per fauces diffundas, & per triduum, etiam[d] equo in labore constituto, digeras, ut adversus virus internum subveniat: probata curatio. Tussienti autem cum passi heminam dabis, 2
& statim sentiet curam. Si liber, cui jam ponendus est finis, legentium non offendit auditum, sequenti volumine inchoantes a vertice usque ad ungulas ex diversis auctoribus enucleatas animalium publicabimus curas, ut ordo, qui a[e] natura datus est, in medendi[f] dispositione servetur, ne indigesta ac membrorum consequentiæ repugnans pagina quærentem confundat, aut tardet.

a) Potio diapenton, nominata superius in capitulo morbi tumidi, præterea hæc est S. M. b) *pro* diapente. c) aut *ínr.* S. d) in lab. const. equo dabis S. M. e) antea S. M. f) præsenti expositione S. M.

VEGETII RENATI
ARTIS VETERINARIÆ
SIVE
MULOMEDICINÆ
LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM.

I. De valitudinibus capitis. II. De Appioso. III. De Frenetico. IV. de Cardiacis. V. De Rabioso. VI. Qua obſervatione curentur cyclo animalia: at unum exemplariorum habebat, cibo. VII. De cerebro commoto. VIII. De capitis dolore. IX. De diſtenſionibus. X. De Appioſo. XI. De Rabioſo. XII. De inſania capitis. XIII. De Chirurgia. XIV. De auribus. XV. De pilis qui naſcuntur in oculis. XVI. De ſuffuſione oculorum. XVII. De paracentheſi oculi. XVIII. De Lunatico oculo. XIX. De Staphylomate oculi. XX. Ad album de

oculo tollendum. XXI. *De suffusione curanda per nares.* XXII. *De diversis passionibus oculorum.* XXIII. *De strumis jumentorum.* XXIV. *De glandulis.* XXV. *De pullaribus.* XXVI. *De fistula maxillæ, vel de conficiendo collyrio fistulari.* XXVII. *De expositione fistulæ.* XXVIII. *De tumore faucium vel capitis.* XXIX. *Si ex pletura sanguinis fauces tument.* XXX. *De intomatis, i.e. tuberibus.* XXXI. *De lingua incisa.* XXXII. *De gingivis & dentibus.* XXXIII. *De osse fracto.* XXXIV. *De cartilagine narium si sanguis fluat.* XXXV. *De palato si vena se non clauserit.* XXXVI. *De genere & qualitate mucorum, qui per nares fluunt.* XXXVII. *De cuferino, i. e. cum post cursum sanguis de naribus fluit.* XXXVIII. *De polyposo.* XXXIX. *De siderato.* XL. *De observatione flebotomi.* XLI. *De cervicibus.* XLII. *De malandria, i. e. de vulneribus cervicis.* XLIII. *De distillatione cervicis.* XLIV. *De distillatione scapularum.* XLV. *De armis læsis.* XLVI. *De genu commoto vel basi.* XLVII. *De fractura articuli, vel cruris, vel coxæ.* XLVIII. *De flegmone, marmore, sive mallonibus.* XLIX. *De aquatilibus & ozoenis.* L. *De pedibus reumaticis, sive ventosis.* LI. *De impetiginibus.* LII. *De uligine.* LIII. *De podagra jumentorum.* LIV. *De ortocollis sive stillosis.* LV. *De pedibus & ungulis.* LVI. *Si pulmunculum ad aperturam fe-*

cerit. LVII. Si exungulaverit jumentum, & si suffusionem pedum patiatur. LVIII. De pedibus attritis sive mollibus. LIX. De dorso confirmando. LX. De dorso curando jam læso. LXI. Si pulmunculus nascitur in dorso animalis. LXII. Si vulnus fecerit. LXIII. Ut pili renascantur. LXIV. De denigrandis pilis albis. LXV. Ut pili nigri albescant.

PROLOGUS.

MULO MEDICINÆ ars jamdudum vitio cupiditatis & exiguitate mercedis, nullo studiosius discente, collapsa est. Numquid [a] vero exemplo Hunnorum sive gentium aliarum artis ipsius etiam usus intercidet, dum homines refugientes expensas, barbarorum consuetudinem imitari velle se simulant, & incurata animalia hibernis pascuis, & negligen-
2 tiæ casibus [b] dedunt? Quæ res nulli compendium, plurimis attulit damnum. Primo quod Barbarorum [c] animalium aliæ naturæ, & ad omnem injuriam durius corpus est. Deinde quod sic instituuntur a parvulis, ut nec potionem medicinalem requirant, & hibernis pascuis vigeant [d], ac sine pernicie frigo-
3 ra pruinasque [e] sustineant. Nostra vero jumenta &

a) Nuper S. M. *mox* intercidit. b) negligentibus calonibus S. M. c) Barbaricorum S. M. *mox* alia natura. d) degant S. M. e) nivesque S. M.

Digitized by Google

mollioris generis sunt, & tectis frequentioribus assueta, calidissimis etiam stabulis imbuta, cum indignationem ex aliqua necessitate contraxerint, continuo in aliquod genus incidunt morbi. Diligens itaque paterfamilias[a], cum mortibus animalium suorum & cum medicinæ expensis atque mercedibus faciat rationem, intelliget, unius vilissimi jumenti pretium ad multorum, quæ sine dubio peritura sunt, si curata non fuerint, salutem posse sufficere.

De valetudinibus capitis.

Cap. I. IN universo animantium genere caput obtinet principatum, quod eminentius cæteris, dominatum quendam circa loci ipsius conditionem sortitur. In eo est odor, gustus, auditus, ac visus: quod, quantum habet potestatis, tantum sustinet
ex labore discriminis. Causas itaque, ex quibus 2
ægritudines generentur, & signa, per quæ qualitas eorundem possit agnosci, curas etiam, quarum medela sanitas revocetur, per ordinem indicare ten-
tabimus. Plerumque autem in corporibus jumento- 3
rum indigestionis vitio sanguis[b] corrumpitur: quod venit, cum ex æstu vel frigore debilitata sunt membra, & in[c] capite frixus sanguis vertitur in vi-

a) *forte ins.* si. Gesnerus. b) sanguinis plenitudo S. M.
c) noxii sanguinis virus in caput se rapit S. M.

rus: tunc enim repletis venis cerebri membrana distenditur, & somni salubritatem[a] frequenter excludit. Ex quo necessario dolor capitis, mœstitia, & imbecillitas subit[b]. Quæ valetudo & prima videtur, & levior, si velox medicina subvenerit.

De Appioso.

II. Cæterum cum noxius sanguis membranam cerebri & ex una parte pertuderit, & eandem dolore nimio cœperit prægravare, efficitur animal appiosum[c]: cujus & mens hebetatur, & visus. Nam cerebri incolumitas & oculos pascit & sensus. In qua passione, quia una pars capitis prægravatur, tanquam ad molam vadit in gyrum.

De Frenetico.

III. Cum vero medium cerebrum corrupti sanguinis virus infecerit[d], animal freneticum redditur, ut repente saliat, & velut effugere velit, parietibus se tanquam irregibilis impingat, nec possit ratione aliqua contineri.

De Cardiacis.

IV. Cardiacus is est, cui cor dolet. Cardiacus[e]

a) salubritas fr. excluditur S. M. b) subsequitur S. M.
c) opiosum S. M. d) infestaverit S. M. e) Cardica S. M. *pro morbo igitur vel passione posuit.* Gesn.

autem fit, quoties sanguinis illa corruptio stomachi vel thoracis impleverit venas, cerebrumque percusserit, cor etiam pestiferi humoris labe constrinxerit. Quæ valetudo inducit mentis alienationem, & corporis sudore monstratur, ex quo difficillime liberatur.

De Rabioso.

V. Quod si appiosum[a] simul passio thoracis in-
venerit, facit[b] continuo rabiosum. Ex ardore enim
nimio jecinoris & sanguinis, venæ cordis nervique
præfocantur, ex qua constrictione fit dolor ipsius
loci usque adeo, ut mordendo se comedat. Ex qui- 2
bus valetudinibus si animal fuerit liberatum, & post
curationem aliqua pars cerebri fuerit imminuta, vel
tumor subcreverit, ineptum jumentum, pigrumque
redditur: & in illa parte capitis, ubi vitium re- 3
mansit, difficile se gyrabit, & ex eo latere se pa-
rietibus jungit, & tarde incedens, non sentiens pla-
gam, ambulaturæ[c] gratiam perdit, & erit submisso
capite, & cum stare cœperit cum tarditate se mo-
vet, minus etiam videbit, nec cibum nec potum
recusat. Quem si curare volueris, cyclo[d] curabis.
In omnibus[e] supra scriptis valetudinibus, primum de

a) opiosum S. M. b) cont. rabiosus efficitur S. M.
c) ambulans graviter pergit S. M. d) ex cyclo & hellebora cur. S. M. e) autem *ins.* S.

Digitized by Google

temporibus minuendus est sanguis, sed & de matrice aliquando tollendus. Cura autem pene omnium similis[a] est, cujus ordinem sequentia declarabunt.

Quæ observatione curentur cyclo animalia, at unum exemplariorum habebat, cibo.

VI. Memineris autem omnes valetudines capitis, præcipue veteres, periculosas, cyclo oportere curari. Cui hæc observantia & ordo est adhibendus: Triduo ab hordeo abstinebitur[b] animal, temperabitur etiam mollibus cibis, post diem tertiam de dextra ac[c] sinistra, prout ætas aut vires, vel valetudo permiserint, de matrice sanguis auferetur.
2 Quo facto, per triduum viridi cauliculorum ac lactucarum sustentabitur cibo. Primo uno die a cibo eum sustinebis & aqua; novo autem die offas caulium cum liquamine & oleo optimo temperatas non minus viginti digeras, cui nihilominus lactucam dabis in cibo ter in die: post potionem bibere sem-
3 per incipiat. Si vero venter vehementer solvi inceperit, caulium offas dare desistes: sed dabis paleas &[c] furfures, ita ut sequente die penitus nihil manducet, sed solam aquam percipiat ad bibendum, ac postero[d] die inducatur in cellam balnei calidam,

&

a) eadem S. M. b) abstinebit S. M. c) aut S. M.
d) postremo S. M.

& sudet. Opus est autem diligentia, ut reducatur 4
celeriter de calore, ne intercluso spiritu pereat:
tunc extergetur diligenter, vinoque & oleo largi-
ter perfricatus, accipiet cum nitri pulvere folia ra-
fani conspersa, quantum commodum est. Postmo- 5
dum cum radicibus cucumeris asinini viridis minu-
tatim concisis oleum optimum misces, & in vase
novo ita decoques, ut tertiam perdat: ex quo sin-
gulas heminas per capita animalium per triduum da-
bis, ut potio ventrem resolvat. Sed si ultra modum 6
fluere cœperit, lenticulam & hordeum pari mensura
friges, & de his singulas bilibres per dies singulos
cum furfure & paleis dabis. Quinque itaque diebus 7
operam refectioni ejus impendes, & leviter exerce-
bis, ut intelligas, quantum vires corporis sanitas-
que profecerit. Post hæc eum pro arbitrio despu-
mabis. Sequente die caput ejus purgabis exorica [a],
vel radice Dianaria, quam Artemisiam dicimus: si
hæc non fuerint, ex liquamine optimo cum oleo
mixto: cujus caput pedesque connectis. Cum bene 8
purgatum agnoveris, solvito, butyrum ex oleo ro-
seo solutum infundes in nares, ut illo purgationis
mitigetur asperitas, ita ut singulæ cotylæ singulis
naribus infundantur. Si supra dictæ potiones non 9
solverint ventrem, mellis, hellebori albi pondus

a) exoriza S. M.

unius denarii cum hemina dulcis vini bene tritum in potione recipiat, vel certe scammoniæ pondus duorum denariorum diligenter tritæ cum dulcis vini
10 hemina simili ratione diffundes in fauces. Quod si venter ultra modum dissolutus discrimen importat, anagallicum succo ptisanæ ad restrictionem ipsius dabis, lenticulamque & hordeum frixum, singulas
11 bilibres cum paleis & furfure præbebis in cibo. Ad ultimum, partes, quæ in causa sunt, sinapizabis diligenter, sinapizatum cautere ferreo, vel quod utilius creditur, cuprino combures, usta curaturus ex more. Potionem quoque ex antidoto polygresto[a] per dies plurimos dabis, & exercebis leviter, & ad cibaria ipsius aliquid per partes semper adjunges,
12 donec ad pristinam consuetudinem revocetur. Insanabiles valetudines cyclo affirmantur posse curari, id est, insani corroborari. Caduci cyclo curati uruntur in capite: morbidi vero, dysenterici, coriaginosi, orthopnoici, strophosi, cyclo curentur in renibus.

De cerebro commoto.

VII. Cerebrum plerumque diversis passionibus commovetur, quod his deprehenditur signis: Ambulabit pravus[b], & frequenter offendet, & toto se

a) *pro* polychr. b) improvidus S. M.

Digitized by Google

corpore commovet. Cujus ista curatio est: Baccas lauri numero xx, nitri selibram, rutæ manipulum: quæ omnia diligenter trita, cum aceto non acri, & oleo optimo rosaceo commixta, hieme calefacies, perunctoque oleo capite ejus & cerebro, vel auriculis cerebellum de lanata[a] pelle convolvis. Quæ si 2
forte defuerint, farinam hordeaceam resinamque miscebis, ex quo cataplasma confectum[b] cerebro oportet imponi. Præterea ceram oleo cyprino conjungis, & linteolo inter auriculas ad ceroti instar imponis. Sed & reliquum corpus potionibus refoven- 3
dum est. Tres fluviatiles cancros conteres diligenter, & cum duabus unciis succi caulium, addito lactis sextario, olei duobus cyathis, permiscebis, & colatum per os diffundes ad cornu. Quorum si inopia est, mellis cyathos duos, aquæ calidæ sextarium 1, coquito, ex quibus pastillos facies, & in aqua frigida dilues, & dabis in potum. Præterea si hieme curaveris, farinam triticeam; si æstate, hordeaceam, aquæ frigidæ adinvicem amuli[c] permixtam, in potione præbebis.

De capitis dolore.

VIII. De capitis dolore multi auctores[d] multa dixerunt. Cujus hæc sunt signa: Tumor circa ocu-

a) lavata F. S. b) confestim S. M. c) *pro* amyli.
d) veteres S. M.

los apparebit, pabulum recusabit, lingua ejus & palatum labiaque tumebunt, quanto vehementius increverit morbus, tanto exoritur[a] amplius tumor: ambulantes toto corpore vacillant, umbramque suam
2 velut odorantes expavescunt. Cujus passionis ex corruptione sanguinis nascitur causa, cum indigestio ciborum naturali meatu intercluso, vel certe derelicto, in eas venas, quæ circa tempora sunt, defluit, membranamque cerebri vitiat. Cui sanguinem de temporibus oportet minui, & continuo oleo ace-
3 toque permixto[b] caput largiter perungi. Quod si hiems fuerit, hordeum pridie infundes in aquam & decoques, calidamque in saccellos immittes, jumentorumque caput fumentando[c] diutius vaporabis.
4 Alii auctores tolli de palato sanguinem jubent. Tunc cimoliam cretam ex aceto infusam, & merdam bubulam recentem cum nitro trito miscent, & in cacabo super carbones decoquunt, calidumque cerebro languentis imponunt, aceto rigantes, ne creta astringatur[d] ad pilos usque, cum prius calida
5 fumentaverunt[e] caput. Dolorem capitis prope ad insaniam ista signa demonstrant: Quoties grave est, & in præsepio se deponit, lacrymæ frequenter oriuntur, auriculæ stabunt, oculi graviores erunt, anhelitus creber, aridus pilus, tremores frequen-

a) crescit amplior S. M. b) permixtis S. M.
c) *pro* foment. d) in pilis S. M. e) *pro* foment.

tes, tristis aspectus. Quem in primis ab aqua abstinebis, ne nimium bibat; de utraque parte colli sanguinem detrahes; caput, sicut scriptum est, curabis.

De distentionibus.

IX. Distentionis quoque valetudo ad capitis præcipue causam refertur; cujus hæc erunt signa: Im-
pediente caligine obscurabitur visus, tremor & su- 1
dor totius corporis insequitur: quod [a] vitium contin- 2
git ex aqua, si sudans jumentum biberit: vel ex
indigestione cibi, si non dormiat, vel substrictus
manserit. Huic capitis membrana distenditur: quæ
passio cæterarum valetudinum & fons probatur &
mater: nisi enim inter initia curaveris caput, ut 3
animal dormiat competenter, fiunt appiosi [b], insani,
rabiosi, frenetici, cardiaci. Igitur cum animal di-
stentionis ægritudo comprehenderit, de cervice ei-
dem sanguinem tolle pro magnitudine corporis & [c]
ætatis. Et si æstas erit, oleo & aceto caput to- 4
tumque corpus perunges, & diutissime confricabis, loco refrigerato & opaco inclusum continebis, substernes etiam stercora [d] sicca vel paleas, ut provocet ipsa mollities ad cubandum: locum calidum declinabis, nam impedit somnum: furfure, vel paleis,

a) hoc S. M. b) opiosi S. M. c) vel S. M. d) stramina *conj.* Morg. IV, 12.

vel foliis lactucarum reficies: præterea potum præ-
5 bebis exiguum: cum convalescere cœperit, modicis ambulationibus exercebis: ubi idoneum visum fuerit ad cibaria largiora, infusum[a] hordeum ad pristinam consuetudinem paulatim per incrementa revocabitur. Si die septimo non profecerit, sanguinem iterum de temporibus emittes, & caput sine intermissione curabis. Potionem[b] dabis, qua sanan-
6 tur appiosi: Nasturtii seminis, apii seminis, seminis lactucæ, anagallici, petroselini, aneti, papaveris silvatici seminis uncias singulas, piperis scrupulos 3, croci drachmam unam. Quæ omnia bene cribrata[c] atque commixta ex aqua temperabis: trochischos[d] facies, ut habeant non minus, quam singulas drach-
7 mas[e]. In dieta unum trochischum in aqua dissolutum per os digeres: quod quotidie oportet fieri, donec sanitas redeat. Si non appetit cibum, singulos trochischos solutos cum succo ptisanæ quotidie præbebis. Vinum nunquam dabis. Capitis enim valetudo sumto mero deterior efficitur.

De appioso.

X. Si quod jumentum appiosum[f] fuerit, in præsepio[g] incumbit, oculos tensos habebit, micabit[h]

a) *forte* infuso hordeo. b) Potio etiam datur S. M.
c) trita S. M. d) *pro* trochiscos. e) in die *ins.* S.
f) opiosum S. M. g) in præsepium S. M. h) nutabit S. M.

Digitized by Google

auriculis, visus caliginem patietur, & gyrat in circulo tanquam ad molas[a].

De Rabioso.

XI. Quod si etiam fuerit conversus in rabiem, sic intelliges: Subito hinniet tanquam sanus, parem suum appetit morsu, vel hominem, præsepia, aut ilia sibi mordicans rodit: quem sicut appiosum curabis. Prorsus abstinebis ab hordeo, mollibus cibariis sustentabis[b]. Præcipue tamen[c] apium viridem[d], quantum voluerit, præbebis. Sanguinem de 2
temporibus aut de cervice emittes[e], loco tenebroso statues, caput eidem hujusmodi acopi[f] confectione curabis: Opopanacis libram 1[g], resinæ, terbentinæ ana uncias 2, galbani unciam 1, resinæ frixæ uncias 3, masticis tritæ uncias 2[h], olei veteris lib. 1: ex hoc ei cerebrum & auriculas confricabis, oleum tamen solum ac liquidum in aures ejus suffundes: cujus tamen prius quam acopo utaris, saccellationi- 3
bus caput cerebrumque vaporare te convenit, & caput apposito cerebello communire. Potiones quoque ex trochischo[i] superius memorato quotidie præbebis, collyrio acri inungis assidue, ut caligo ex oculis possit auferri. Quæ cura si non profecerit, 4

a) *Cohæret sine distinctionis nota* c. XI. S. M. b) fomentabis S. M. c) autem S. d) *pro* viride. e) educes S. M. f) apii S. M. g) unciam S. M. h) tres S. M.
i) *pro* trochisco.

caput & tempora sub ipso protocomio semisse inuris cauterio, quod & super venas temporales facies. Plerique tamen, facies ne deforment jumentum, solo tabulare palati confecto[a], sani fieri possent. Fervor enim foci debilitatem capitis tollit, & membranam menti pristinæ, sanitatique restituit.

De inſania capitis.

XII. Alii auctores insanientis jumenti ardentes
& sanguineos[b] oculos & humore suffusos, stantes
auriculas dicunt vel micantes[c], ut ad instar indo-
mitorum, nec capi possit, & captum, parietibus
2 se illidens conetur[d] effugere: terram pedibus fodiet,
& multum flegmatis[e] ex ore profundet: quod hac
ratione curatur, ut auferatur ei sanguis de angu-
laribus[f] venis, de palato, & post de cruribus: a
3 cibo[g] eadem die abstineatur & potu. Alia autem
die aquam frigidam dabis ei bibere. Auferantur
stercora, quæ in ano ejus[h] sunt, per quatriduum
continuato clystere, curabitur venter[i], ungetur ce-
rebrum, secreto collocabitur loco, accipiet in sub-
stantiam[k] porros, & herbam mollissimam, aut mol-

a) usto F. M. & S. M. b) sanguinolentos S. M. c) nutantes S. M. d) nisi teneatur effugiet S. M. e) flatus S. M. f) jugularibus S. M. *quod veriſimilius*. g) autem *inſ*. S. h) ipsius S. M. i) purgetur venter & cerebrum, & obscuro coll. S. M. k) intuba *inſ*. S.

lissimum fœnum . His potionibus percurandum : 4
pulveris turis drachmam[a] 1, aceti albi sextarium 1,
radicis panacis unciam 1, herbæ saxifragæ uncias[b] 3,
ex aqua mulsa per os dabis . Lactis caprini sexta-
rium unum defundis in fauces : quod si defuerit ,
ciminum rusticum pondo duo in pulverem rediges,
additoque olei optimi uno[c] ebulo, ex aqua mulsa
diffundis ad cornu. Sed cæteris potio hæc aptior 5
creditur: apii unciam 1, jusquiami[d] unciam 1, semi-
nis apii unciam 1 , seminis lactucæ uncias 2, papa-
veris silvestris unciam, quæ omnia in pulverem ro-
dacta commisces, & unum cochlearium magnum ex
aqua dabis , vel si cibum non accipit , ex[e] succo
ptisanæ: obscuro & frigido, & laxiore loco statues, 6
silentiumque præbebis ut dormiat: prius tamen oleo
ac pice liquida caput perunges, auresque comple-
bis, tempora etiam munies cerebellare vel fasciis ,
mirtam[f] quoque aridam conteres, & aceto oleoque
miscebis, corpusque ejus totum diutissime confri-
cabis . Solent constrigi[g] & obrui stercore , ut su- 7
dent & dormiant[h]. Quibus si somnus venerit , af-
feret sanitatem. Rabiosum vero jumentum eadem
omnia, & majora ostendit, quam insanum . Nam 8
& alia animalia comedit, & facit ipsa contagione[i]

a) libram S. M. b) duas S. M. c) *forte* acetabulo. d) *pro* hyoscy. e) succum ptisanæ dabis S. M. f) myrrham S. M. g) diligenter *ins.* S. h) obdor. S. M. i) ipso contactu S. M.

Digitized by Google

rabiosa. Plerumque etiam [a] morsibus intestina sua extrahunt & hinniunt [b] fortiter. Quæ valetudo ex nimia sanguinis abundantia & ardore contingit. Curatur autem observatione & potione superius declaratis.

De chirurgia.

XIII. Chirurgia appellatur quodcunque secatur
ferro, vel cauteriis uritur: quæ cum sit omnibus
membris animalium, præcipue tamen capitis neces-
2 saria est medicina. Quodcunque igitur jumentum
in qualibet parte fregerit caput vel nudaverit casu,
sollicite curandum, ne indignatio vulneris in nervos
3 cerebrumque penetrando periculum generet: nec in
primo medicamentis uti acrioribus convenit, sed
magis melle [c] curare: cum ad maturitatem venerint
illa, quæ fracta fuerant, ossa laxantur, tenea sol-
lerter, & mobili manu vel forficibus [d] eximito. Re-
liqua fragmenta ossis, quæ asperata sunt, ferra-
mentis cædito [e] atque perradito, ut carnem facilius
inducant: nunquam enim clauditur vulnus, si non
raseris, donec sanguis per os ipsius respondeat.
4 In quo major est adhibenda cautela, quia solet in
locis ossuosis [f] & commissuralibus fistula fieri: quæ [g]

a) enim S. M. b) ineunt F. S. c) molliter S. M.
d) forpicibus S. M. e) competentibus S. M. f) saxosis S. M.
g) quod S. M.

cum evenerit, parumper [a] injuria afficit vulnus, per quod non sanies, sed humor liquidus emanat, nec unquam deducta [b] cicatrice solidatur. Quod si evenerit, hac ratione curabis. Papyrum per ipsam fi- 5
stulam trajicies [c], ita ut capita papyri, quæ [d] extra fistulam eminent, ex utraque parte alligas [e] lino, ne cadat, & diebus v vel pluribus, donec callositas fistulæ papyri [f] distentione turgescat, & majus vulneris foramen fiat. Tunc [g] ad mensuram vulneris 6
ex fistulari medicamento collyrium faciens, exemto papyro intra fistulam injicies, ut impleatur ex integro, plane ne excidat, munies diligenter. Post dies quatuor vel quinque solvis [h]: si fistula ceciderit, traumatico curabis, quod vulneri semper immittes, donec spissa sanies & non multa in eo loco reperiatur. Cum autem jam limpidum videris 7
collyrium, fac pollinem herbi [i]: & thus masculum tritum æquis ponderibus cum melle decoquito, & plagæ ipsi imponito, per dies plurimos quotidie curato ita, ut deprimas ipsas partes vulneris, quatinus junctæ citius cohærescant [k]. Si graviter offen- 8

a) parvum & incurabile efficit vulnus, quod non saniem, sed humorem liquidum emittit S. M. *verum putat* Gesn.
b) ducta S. M. *melius*. c) inducis S. M. d) extra orificia ex utraque parte alliges, ne cadat, & tribus S. M.
e) *debebat* alliges. f) tergere (*forte* turgere) papyrum faciat, & nullum vulnus S. M. g) autem *ins*. S. h) ita quod caro infecta cadat *pro* solvis *habet* S. M. i) ervi S. M.
k) crescant: sed si S. M.

Digitized by Google

derit caput, ut cerebrum vexet intrinsecus, continuo de temporibus sanguinem eidem oportet auferri, & spongiam aqua, si æstas fuerit, oleo roseo, & aceto æqua parte commixto capiti ejus imponi,
9 fasciaque connecti, & cibos virides præberi: si nec ipsos appetit, quia omnem cibum recusat, fabam moles & convertes in pollinem[a], farinam quoque triticeam pariter admisces, & cum mulsa per cornu ad substantiam animali tam diu faucibus ejus infundes, donec cibos virides appetat, quos aqua marina vel salsa oportet aspergi.

De auribus.

XIV. Aurium ut vicinitate proxima, ita periculi non discrepans cura est: quæ si casu aliquo fuerit a radice contusa, & collectionem fecerit, eam cum maturaverit, scalpello secato, & pus sinito fluere: tum linis aceto acerrimo & oleo per triduum, quarta die traumatico curato, donec sanetur. Etiam si cartilaginem vexaverit, ejusdem medicinæ observatione proficiet. Si vero a radice auriculæ, vel commissura capitis tumor magnus cum duritia extabit, ex fœnigræci & lini semine, & tritici polline cataplasma imponito, maturatam collectionem scalpello secato, ita ut inferius plaga

a) pulverem S. M.

spectet, quatinus[a] humor per prona decurrat. Vi- 3
no, oleo, & sale mixto infusos lemniscos inducis,
& vulnus per quatriduum fovebis, post traumatico
uteris: sed[b] difficilis cura est, quia fistulæ in talibus locis frequenter oriuntur: quæ si evenerint,
supra scripta curatione curantur. Si tamen ægri- 4
tudo vulneris ulterius etiam post medicamenta procedat, vicinæ urendæ sunt partes, & cauterio in ipsis collectionibus infigenda sunt puncta vehementius, ut & cutis & causa perrumpatur interior: post solerter usta curanda sunt. Non enim aurium est negligenda curatio, ne ex dolore nimio generetur insania. Primum purganda est auris diligen- 5
ter intrinsecus, ut auferatur, quod dolorem movet, aut lædit. Si nihil invenitur[c], spongiam nitro & aqua molliter infundes & dilues, unamque noctem intra auriculam infusam spongiam manere patieris.
De tertio nitro & aqua calida fovere incipies fre- 6
quenter & diu, donec dolor recedat. Quod si aqua fuerit ingressa, oleum vetus & acetum æquis ponderibus adjecto nitro in aurem mittito, & succidam lanam superimponito. Si vulnera fuerint, lyparem[d] auribus inseres, & curasti[e].

a) *pro* quatenus. b) non tamen fistulæ S. M. c) inveneris S. M. d) lipparia S. M. *verum est* liparem, λιπαρὴν.
e) curabis S. M.

De pilis, qui nascuntur in oculis.

XV. Quodcunque jumentum in oculis tritiacem[a] patietur, id est, ut pili aliam palpebram urentes[b] lacrymas moveant, visumque conturbent, hac ratione curatur. Non longe a pilis ab interiori parte scalpello plagam dabis[c] in cute palpebræ, post forpicibus[d] per longum ad mensuram oculi fasciolam præcides, & impositis fibulis consues palpebram foris versus, ut oculus sine deformitate recipiat vi-
2 sum & gratiam naturalem. Tunc vero optimo oleo, nec non etiam muria[e] infusam spongiam superpones, & oculum fasciabis. Post die[f] quinto solvis, tunc intrinsecus oculum collyrio curabis: deforis vero tetrapharmacum impones, non prius fibulas ablaturus,
3 quam duxerit[g] cicatricem. Nihilominus & cadentibus fibulis, collyrii cura non deerit, ne caro rursus superflua excrescat. Sed plerique adhibent cum deformitate compendium, ut partem, quæ prominet ad mensuram naturæ forpicibus amputent, pusca, quæ frigida sunt, propter fluxum sanguinis foveant, oculum collyrio intrinsecus curent, ne indignationis necessitate lædatur.

a) tyriacem S. M. b) vertentes S. M. c) facies in palpebra S. M. d) forficibus S. M. e) aqua marina S. M. f) diem quintum S. M. g) induxerit S. M.

De suffusione oculorum.

XVI. Suffusio sicut hominum, ita jumentorum
impedit visum, cujus tria genera ab auctoribus indicantur:
Stenocoriasis, platycoriasis, hypocoriasis,
Græce pupula nominatur. Stenocoriasis dicitur,
cum constringitur visus & vires amittit. Quæ hac 2
ratione curanda est, ut[a] sanguis de temporibus auferatur:
radicem quoque fœniculi, & herbam chelidoniam,
vel rutam decoques ad tertias, & cotidie
ex ipsa aqua, quantum manus patitur[b], oculus foveatur.
Inunges etiam collyrio opobalsamo, quod
suffusionibus prodesse consuevit. (Adversus infestan- 3
tes pilos tertia cura est, ut leni tenuique cauterio
genæ, quæ procreverint, inurantur, quo facto,
ducta cicatrice contrahitur[c] pellis, & palpebra altius[d]
elevata a pupilla cursu pilorum arcet injuriam.)
Platycoriasis[e] autem est, cum se ultra naturalem 4
modum pupilla diffundit, & eripit visum, nec curari
ullatenus potest. Nam sicut ovi vitellus casu
aliquo disruptus[f] in priorem formam coire[g] non potest,
ita semel pupilla diffusa recipere non potest
usum[h] videndi. Quod evenit[i] equorum sudore, dum 5

a) *Verbis* ut sanguis *substit.* si visus caligat S. M. b) calida *ins.* S. c) conteritur F. S. d) *Præter* S. M. alterius *reliqui.* e) *Sic rescripsit* Gesn. *pro* platochor. f) disjectus S. M. g) redire S. M. h) visum. Quod S. M. i) in equorum furore S. M.

membranula, quæ continet lumen, indignatione caloris[a] disrumpitur: vel certe sollicitudo longi itineris ad indignationem jumenta compellit, aut læsum
6 oculum dominus curare neglexerit. Quod cum accidit, oculus videtur incolumis, nullis[b] lacrymis, nullo sanguine, nulla indignatione prodit injuriam, sed visus[c] tantum declaratur indicio, quod in pupilla ipsius imaginem tuam, tanquam in speculo, vi-
7 dere non potes. Hypocoriasis autem a capitis humore descendit, & in uno oculo sese primo ostendit, postea etiam ad alterum transit. Intelligitur autem humore vel lacrymis. Continuo sanguinem ei de supercilio, vel de ipsa parte temporum detrahes, fomentabis ex tepida aqua, in qua radices fœniculi decoctæ fuerint cum ruta. Præterea inun-
8 ges collyrio opopanato[d] & opobalsamato. Quod si institeris medicinæ, per lacrymarum cursum consuevit sæpius caligo sanari. Temporales quoque venæ cauteriis inuruntur, & meatum humoris excludunt.

De paracenthesi oculi.

XVII. Quod si vis passionis intulerit cicatricem[e], diligenter attende, quo colore sit membrana, quæ appo-

a) indignationis calore S. M. b) nullius S. *male*. c) uno S. M. d) opponacato S. M. *verum* opopanacato. e) cæcitatem S. M.

apposita[a] pupillæ impedit[b] visum : si auroso colore fuerit, insanabilem scias: si candida nimium, etiam noveris non posse curare ipsam. Si vero spissa fuerit, colore oleagino[c], muco similis, per paracenthesin ad hominum similitudinem, cum fuerit maturata, curatur. Jumentum igitur pridie temperabis[d] a cibo, vel potu maxime prohibebis, in loco molli elides[e], caputque ejus & cervicem apte collocabis: ita patentem oculum facies, ut claudere non possit: deinde ab ipsa fronte paracenterium inter tunicas oculares subjicito, ne pupillam tangas, aut aliquid lædas interius, sed ipsum album de superiori parte, ubi hypochysis[f] posita est, capitello[g] paracenterii deorsum deprimis ad palpebram inferiorem subtiliter. Quod si depositum fuerit, non prius paracenterium eximas, nisi clausum oculum penicello callido diutissime vaporaveris: solet enim resilire. Quod si ita evenerit, reprimito, donec ita componatur, ut resilire non possit. Cum itaque intellexeris claritatem pupillæ sine ullo obstaculo hypochysis, tunc eximes ferrum, & invenies animal videre. Curabis sic: Ex oleo roseo & ovi albo anacollima facies, lanam[h] infundes, & super oculum curatum impones, ac desuper fasciabis. Caveto,

(margin numbers: 2 beside "temperabis", 3 beside "non prius", 4 beside "ana-")

a) opposita S. M. b) operit S. M. c) oleagineo S. M.
d) separabis S. M. e) dejicies S. M. *glossa*. f) *Sic scr. pro* hypochisis: hypocisma S. M. *forte fuit* hypochisma.
g) caput S. M. h) *forte* lanæ.

ne ipsa die manducet, & moveat oculum agitatione maxillæ; sed tamen si voluerit, bibat. Altera die solvis & calida fomentabis diutissime: deinde fœnigræci succum in oculo subfundis[a], & rursum anacollima supra dictum similiter imponis, fasciabisque. Quod cum per triduum, aut quatriduum feceris, oculum solvis, & fœnigræci succo fomentabis, ex melle optimo Attico unges, donec cicatrix se confirmet & oculus.

De lunatico oculo.

XVIII. Est[b] aliud vitium ejusmodi, ut interdum oculo album inducat, interdum limpidet: ex qua passione lunaticum oculum veteres nominavere. Cujus ista curatio est, ut de ipsa parte temporum detrahatur sanguis: interpositis diebus, sub oculo nihilominus sanguinem oportet minui. Cotidie quoque calido fomento oculum curabis deforis; intrinsecus autem inunges collyrio thermantico & acerrimo per plures dies, donec recipiat sanitatem. Si nihil ex hac ratione profecerit, venas superiores in temporibus supra ipsum locum, qui sustinet passionem, diligenter perquires &[c] inures, ut humor noxius possit arceri.

a) infundis S. b) & *ins.* S. c) & ibi adures S. M.

De staphylomate oculi.

XIX. Quodcunque jumentum in oculo habuerit staphyloma, incurabile est: talis tamen curatio consuevit adhiberi: de sub oculo sanguinem ei detrahes, & fomentabis calida cum radicibus fœniculi & rutæ decocta, inunges etiam collyrio non valde acri, si vulnus fecerit & deplanaverit[a], ex succo fœnigræci fomentabis, & inunges collyrio leni, quod facit ad tunicas ruptas, donec se cicatrix cum planitie claudat, tunc uteris acriori collyrio, & per dies plurimos, donec quæcunque pars æquari possit ad naturæ similitudinem, compleaturque, ut non deformetur obtutus.

Ad album de oculo tollendum.

XX. Si casu aliquo animal oculum impegerit aut confricaverit, vel ex percussura læserit & album induxerit, etiam si totus oculus præclusus sit, tamen experimentis hac ratione probatum est cito posse curari. Hederam colliges terrestrem, & in pila mundissima diutissime contundes, succum exprimes, ex hoc animal inunges: potestate medicaminis, quamvis desperata, consumitur albugo. Sed si terrestrem hederam non inveneris, sive baccas

a) *forte* deplanaveris.

hederæ, sive folia contundes, & succum exprimes, & ex eo succo[a] inunges. Si hoc quoque difficile videbitur aut morosum, paululum aquæ frigidæ cum foliis hederæ diutissime contundes, succum exprimes, & per siphonem ei in oculum defundis. Quod cum per dies plurimos tam mane, quam ad vesperam feceris, album omne tolletur. Sed si vinum miseris optimum &[b] recens efficacius curata sanat.

De suffusione curanda per nares.

XXI. Aliqui auctores dixerunt, si dexter oculus suffusionem susceperit, vel album incurrerit, dexteram partem naris, si sinister sinistram diligenter inspiciet: in ipsa callositate narium[c] foramina subtilissima inveniet, quibus tenuis inserenda est fistula, per quam ille, qui curare debet, os plenum vini insufflet, ut merum per foramen illud penetret. Quo facto oculus incipiet lacrymare. Velocius autem proficiet: quia per interiores venas meri virtus ad oculum penetrat.

De diversis passionibus oculorum.

XXII. Jumentum in oculo in osse percussum, si tumorem[d] fecerit durum, callosum, & ossilagini

a) oleo oculos S. M. b) pro aqua, efficacius est S. M.
c) varia S. M. d) si in ipso oculo creverit os, cartilago vel simile, sic curato: Ejecto animali in terram contrahe palpebram, & cum ferro congruo incide superfluitatem illam, ita

similem; hac ratione est curandum: Dejecto animali
contra causam ipsam cutem aperito, & ossis ciso-
rio gingivulam, vel cartilaginem vel os, quod ex se
excrescere cœperit, cædito, ut deplanes ad simili-
tudinem partis alterius. Si apte deplanaveris, ace- 2
to & oleo linteolis vel licinio addito, locum ipsum
comples & fasciabis: tertia die solves, & similiter
curabis per dies 5, donec fervor desinat: post trau-
matico uteris. Catastolico quoque medicamento li-
braturam cutis consumis, quam[a] diu limpidum vul-
nus curetur & adæquetur. Quod si ipsum os con- 3
carnari non potuerit, tam diu cotidie eradicato[b]
donec sanguinet atque concarnet, ita ut medica-
menta congruentia vulneri imponas. Quod si post
sanitatem causa eadem crescere cœperit, punctis[c]
cauterio subtiliter urito. Oculorum epiphora[d] infra
oculum detractus sanguis emendat, si usque ad sa-
nitatem melle optimo inungatur assidue. Præterea 4
prodest eidem passioni: myrrhæ pondus denarii
unius, crocodili stercoris semiunciam, salis armo-
niaci[e] semiunciam, sepiæ ossium semiunciam, mellis
Attici cyathos 2: ex quibus omnibus tunsis atque

· ita quod similiter sano: & imple locum de pulvillis infusis in oleo & aceto, non solvendo nisi tertia die: & sic fac usque ad diem quintum, donec fervor recedat: postea utere tragmantico corrosivo, aut medicamento labia cutis consumis, quam diu limpidum vulnus æquetur S. M.

a) h. e. donec. b) eradito S. M. c) punctim S. M. d) *Leg.* epiphoram *vel* epiphoras. e) albi S. M.

permixtis oculum perunges. Magnæ lippitudini
5 adhibetur tale remedium: Myrrhæ troglotidis unciam 1, thuris masculi, croci Siculi, limpidis Cypriæ, æris usti, ana uncias 2, teres[a] simul, consparges & cernes, aquæ cœlestis & Falerni vini, mellis Attici adjicies quantum sufficit, in vase vitreo condes, & cum necesse fuerit, uteris. Si casu cilium ruperit, fistulam[b] dabis & mannam thuris
6 cum ovo impones. Discutit cicatricem oculorum ejusmodi compositio: Spicæ nardi unciam semis, salis armoniaci uncias 3, catimiæ[c] unciam semis, croci unciam 1, piperis semiunciam, in pulverem convertes & uteris. Albi vitia deterget ista cura-
7 tio: Sepiæ marinæ ossis rasi scrup. decem, croci scrup. duos, salis armoniaci scrupulos 2, myrrhæ
8 crocodili stercoris scrupulos duos. Item, album sive glaucomata emendat, vini Aminei veteris sextarii tres, gariofili sextarius, mellis unciæ tres, quibus omnibus decoctis uteris. Album tollit si ex
9 humore vel percussura evenerit: Sandaricæ[d] unciæ 2, ossis sepiæ combusti unciæ 4, piperis albi semiuncia, salis armoniaci unciæ 2, cum melle permix-
10 tis. Cicatricibus oculorum medetur jejuna saliva,

a) tere & incorpora cum aqua pluviali, vino, sale, nitro, & melle Attico, in vase S. M. b) fistulis farinam thuris S. M. *Leg.* fibulam dabis. c) *forte* Cadmiæ. *Oculis utilem docet Dioscor.* 5, 84, *add.* 4, 11, 1. d) Sandarachæ *conj.* Morg. IV, 15.

ti cum sale mandatur in ore, & expuatur in oculum. Sal quoque tritum cum osse sepiæ, & sina- 11
pis agrestis semine. Collyrium nardinum: opopa- 12
nacis scrupulos 2, violæ uncias 2, spicæ nardi, cassiæ, marrubii[a] ana semiunciam, croci Siculi unciam semis, olei semiunciam & scrupulos 4, piperis albi uncias sex, gummi scrupulos 5. Item alia confectio collyrii: Æruginem æris & salem optimum æquis 13
ponderibus, & aceti quantum sufficit misces. Ne- 14
cessaria compositio: Rutæ scrupulos 4, thuris masculi, stercoris columbini, murium, olei, croci, mellis, catimiæ, olei rosati ana scrupulos 4, diligenter trita miscebis & uteris. Si vero oculus ictu 15
vulneris insanabilis redditur, & (ut mulo medici dicunt) canchremata fecerit, ne periculum mortis incurrat, ervi pollinem cum oleo roseo & ovo simul immittito. Cum purgatum vulnus fuerit, cum melle Attico inungito. Sunt & alia multa colly- 16
ria, quæ, quia eandem vim easdemque species continent, enumerare superfluum duximus.

De strumis jumentorum.

XXIII. Plerumque strumæ, vel parotides, aut scrophulæ jumentorum guttur infestant, & faucium tumorem[b] producunt. Nam & subrecto[c] sunt capi-

a) myrrha *laudatur* 4, 27, 4. Vid. Morg. IV, 15. b) tumore producuntur S. M. tumore produntur C. *recte putat* Gesn. c) subjecto S. M.

te, & tanquam ab stranguria præfocantur. Hos primum fomentis calidis, & cataplasmate ex polline hordeaceo, & resinæ unciis tribus mero valido
2 coctis curari expedit: & cum collectio fuerit maturata, scalpello secari opus est, & quidquid collectum fuerit, emittere, & aceto, & sale & oleo infusos lemniscos subjicere: cæteris quoque diebus traumatico & medicamentis aptis solerter curare, si vulnus pateat, dum sanetur. Nam in his locis ex præclusione cito solet fistula fieri: quæ si evenerit, ut supra demonstratum est, papyro & collyrio poterit persanari.

De glandulis.

XXIV. Glandulæ quoque animalibus, & præcipue pullis, usque ad periculum interdum molestæ sunt, & in morbum transeunt aliquando; quæ inter maxillas inferioresque fauces nascuntur, & ad similitudinem pilularum majores[a], aliæ vero minores connexæ ex carne obdurescunt, & tumorem sine doloribus faciunt. Quæ inter initia perunctæ oleo, picula perfricari solent, vehementiusque manibus
2 corrumpi[b]: & ita velut vanescendo sanari. Quod si excreverint amplius, dejecto animali, ita ut per medium secentur scalpello subtiliter, cum radicibus

a) altæ *ins.* C. *pro* aliæ. b) h. e. tractari, subigi, elidi.

eximuntur, ne aliqua vena tangatur. Quo facto, aceto & oleo cum sale medicamentisque superius declaratis sananda sunt vulnera. Plerique urenda[a] dixerunt. Sed si parva[b] sint, prodest, cæterum majores exsecandæ sunt ferro.

De pullaribus.

XXV. Dum caput pullorum calefecerit prima dentitio, inter gingivas atque maxillas tumor collectioque generatur, quæ pullaria vocatur. Cujus[c] passionis tanta tensura est, ut manducare vix possint. Sed cataplasmatibus studiosissime maturanda sunt, deinde[d] scalpello aperienda, post sale, & aceto, & oleo curanda. Plerique etiam cum ferro 2
exemtæ fuerint glandulæ, propter sanguinis fluxum loca uri debere præcipiunt, post sale & oleo octo diebus utuntur: nec non ex nitro & aqua calida diluunt. Si nitri inopia est, lotio calido aut lixivio utuntur. Deinde vinum & oleum, & farinam de ervo imponunt per triduum, consequenter de vino ac oleo, & farina hordeacea, & melle percurant. Addentes, quæcunque plaga fuerit, aut strumæ, vel parotidis, glandulæ, quæ tolluntur Lycio[e] medicamento, vulnera percurari ita, ut de malis gra-

a) esse *ins.* C. urendas *conj.* Morg. IV, 16. b) parvi sunt — exsecandi C. c) Hujus C. d) dehinc C. e) lotii S. M.

natis siccis pulvis aspersus, celeriter[a] afferat sanitatem.

De fistula maxillæ, vel de conficiendo collyrio fistulari.

XXVI. (" De conficiendo collyrio fistulari.") Si ex aliqua hujusmodi curatione jumentum fistulam in ore fecerit, hac ratione curabitur: Papyrum injicies in fistulam, ut pars ejus in ore extet, quam lino diligenter ligabis, ne possit elabi: pars vero foris exeat, quæ nihilominus constringenda est lino, ne cadat: triduo permaneat, quarta die papyrum eximes, collyriumque ad longitudinem & cavaturam vulneris ad arctum fistulæ subjicies, & ne forte labatur, fasciabis locum, ita ut ad manducandum possit maxillas agitare: tertio die solves.
2 Si fistula ceciderit, diebus septem unguento traumatico curabis: deinde collyrium ex melle & ervi polline decoctum subjicies ad plenitudinem foraminis diebus plurimis. Ad ultimum, anapleroticum[b] ipsi vulneri medicamen imponis, donec omnis pla-
3 ga, ducta cicatrice, solidetur. Fistulare autem collyrium hac ratione conficies: Anisi[c] unciam 1, feru-

a) celeritatem adf. sanitatis C. b) apostolicum S. M. catastolicum *videtur cogitasse*. c) anisi unc. trita cum forti aceto misce & fac collyria pro qualitate vulnerum cum usus exegerit S. M. *pro* anisi *conj.* mysi Morg. IV, 17.

læ[a] unciam 1, æruginis æris unciam 1, battituræ calcetis unciam 1, cimini[b] seminis unciam 1, teres cum aceto acerrimo, & secundum qualitatem vulnerum, cum usus exegerit, collyria formabis.

De expositione fistulæ.

XXVII. Fistulæ nascuntur, quoties nervus, aut cartilago, aut os negligentia vel imperitia curantis ex plagæ alicujus tabido humore vitiatur. Tunc enim, quæ[c] commeaverit, ad instar cuniculi, carnem indurat & incallat, & fit fistula, quæ nulla ratione sanari potest, nec aliquando coire, nec solidari, nisi penitus eximatur. Hujus a diversis auctoribus tradita est diversa curatio. Alii enim scalpel- 2
lo resecari & aperiri jubent, & syringotomio decarnari, medicamentisque acerrimis consumi, & sic postmodum vulnus ad cicatricem coire. Quod cum laboris ac discriminis habeat plurimum, minus tamen prodest. Alii vero cauterio omnem fistulam 3
inurendam, vicinasque partes ejus punctis ferventibus prærumpendas esse duxerunt, quatinus per ignem callositate submota, astalticis[d] medicamentis vulnera percurentur. Sed melius est fistulam, sicut superius declaratum est, papyri injectione curare: quia neque nervus, neque vena, neque com-

a) feculæ *conj. id. ib.* b) *pro* cymini. c) qua C. *editi male* quæ: per quam S. M. *glossa in* qua. d) causticis S. M.

missura vexatur. Nam scalpello vel cauterio sæpe
4 fit causa deterior, & periculum creant[a]. Collyrium vero omnem callositatem fistulæ de alto a radice ejus eximit. Quod si os fuerit vexatum, quod oporteat radi patens vulnus, per medicamenti curam non potest impediri. Si vero in alto tabes aliqua vel nervus aut cartilago remanserit, ex eodem collyrio pulverem facies, & frequenter injicies. Omnia enim vulnera elimpidat atque persanat.

De tumore faucium vel capitis.

XXVIII. Interdum ad similitudinem synanches animalibus fauces & caput interius intumescunt, adeo ut bibere aut manducare non possint. Cujus totum & os & lingua aqua calida fomentatur, &
2 taurino felle perlinitur. Potio autem datur hujusmodi ad cornu. Olei veteris libras 2, vini sextarium 1 commisces[b], novem quoque Caricas cum novem capitibus porrorum decoques, & diligentissime conteres, & in aqua ipsa nitrum Alexandrinum tritum, quantum sufficit, misces[c], & ex his omnibus potionem mane & ad vesperum heminas singulas dabis, ut tumoris[d] ipsius relaxetur & mitigetur asperitas.
3 Manducet autem herbam viridem, aut quod melius est, pascatur. Quæ si defuerint, farinam de hor-

a) creatur *forte leg.* b) commiscebis C. *mox* octo S. M.
c) miscebis C. d) tumores — relaxentur C.

deo facies, cui nitrum admiscebis, & sic apponis[a].
Fœnum quoque mollissimum eliges; quod nihilomi-
nus nitro & aqua consperges. Sanguinem non de- 4
trahas, nisi forte de palato despumes. Cum cœpe-
rit convalescere, nitrum tunsum & cribratum, pul-
veres[b] de radicibus cucumeris asinini[c] silvatici com-
misces, & vini sextarium, cochlearia pulveris ipsius
junge, ut hujus potionis vi resoluto ventre purge-
tur. Alii auctores tumorem capitis ac linguæ, vel 5
faucium, etiamsi obduraverit, ita festinantes pro-
pter periculum curare nituntur: lapides molares plu-
res igne succendunt, cum candere cœperint, ca-
put equi cooperiunt, & vas plenum lotio sub ore
& naribus supponunt, & per vices singulos canden-
tes lapides in lotium immittunt, ut ille vapor ac
fumus, a calore lapidum concitatus, os equi & na-
res impleat. Nam[d] & fustem transversum, ut aper- 6
tum os habeat, debet accipere. Quod cum diutis-
sime feceris, aquam marinam calefacito, vel certe
salem in aqua[e] dulci miscebis, fervendoque[f] dissol-
ves; addito aceto acerrimo, caput ejus & os, &
gingivas diutissime confricabis. Postea fimum bubu-
linum cum acri aceto miscebis, & tepefacies, ex
quo caput totum frontemque & labia perunges,

a) appones C. b) pulveri C. c) asinini *om.* C. *& certe alterum alterius glossa est.* d) *Præter* C. impleat & fuste *reliqui.* e) aquam dulcem C. f) *Sic* C. fovendoque dissolvis *al.*

tunc farinam hordeaceam cum aqua tepida sufficienter pro cibo dabis & potu.

Si ex pletura sanguinis fauces tument.

XXIX. Quod si ex[a] sanguine tumor ille indignationis evenerit, ita intelliges, si venis tensis obturabitur[b] halitus, & oculi sanguinei apparebunt: cui de temporibus, si non tumebunt, aut certe de palato, si ibi indignatio non erit, sanguinem oportet auferri. Cretam Cimoliam duabus partibus, & tertiam partem cretæ nigræ, ex vino austero temperabis, & dum calet[c], illinis caput.

De intomatis, i. e. tuberibus.

XXX. Sciendum est autem tubera in corporibus frequenter excrescere, quæ Græci oncomata[d] vocant. Horum variæ qualitates & diversa sunt nomina. Steatoma[e] est tuber, quod in se adipem vel pinguedinem continet. Meliceris est tuber, in quo caro inspissata[f], quomodo in verrucis, invenitur. Aneurysma est tuber, in quo sanguis conspiratus uberis venæ similis invenitur. Atheroma est

a) ex pletura sanguinis, *pro* ex plethora, *quod probat* Gesn.
b) præobt. S. M. *mox* auditus F. M. aditus vel auditus S. M.
c) cadet C. d) intomata F. S. ontomata S. M. oncomata C. *& recta ratio* ὀγκώματα. e) stechatoma F. S. stephiloma S. M. *quod memoriæ hærebat librario ex* c. 19. stetatomaon C. f) conspissata C.

tuber, in quo farinosa[a] congeries reperitur. Ganglion est tuber, quod fit ex duplicatione nervi, similis tubero cum dolore immobili. Horum omnium una est curatio. Jumentum colligatum deponitur, & a contra[b] locum causæ sagitta aut scalpello in longum dextra ac sinistra pro mensura tumoris aperitur, ita ut media fasciola cutis, quæ supra tuberum est, intacta permaneat. Post egestis vel eversis omnibus, quæ tumorem moverant, medicamentis competentibus, ea, quæ supra declarata sunt, producitur ad cicatricem.

De lingua incisa.

XXXI. Si jumento lingua fuerit incisa, statim cum fibulis consuito, deinde vino lavato, post gallam tundito & pulverem cernito, ex eo imponis, donec sanetur: cui dabis fœnum mollissimum concisum, & pro hordeo furfures. Alii postquam fibulas acceperint, linguaque vino fuerit elota, mel imponendum esse duxerunt, ut plagam purget & curet. Ad ultimum ex malo granato pulverem injecerunt.

De gingivis & dentibus.

XXXII. Si jumento loculamenta dentium, id est gingivæ vel dentes doluerint, his agnoscitur si-

a) farciminosa S. M. b) circa S. M.

gnis: hordeum solidum glutiet, macescit, salivarum plurimum effundit, gingivæ intumescunt. Cretam Cimoliam cum aceto acerrimo macerato, & calentem extrinsecus maxillis inducito, ne minus quinque diebus: gingivas aut interius cum pulvere corticis mali granati & melle tertia die diutissime confricato, donec egesta sanie convalescat. Quod evenit, cum humor acrior ex capite in maxillarum defluxerit venas.

De osse fracto.

XXXIII. Quod si animal juxta collum vel molares, vel alio oris loco os fregerit, ut morsum claudere non possit, & apertis dentibus horreat propendentibus labris, continuo calida fomentabis, & labrum & quæ sunt disrupta componis, fasciola tenuissima aceto & oleo madefacta diligenter unam partem, deinde alteram compingis ad locum, &
2 similiter fasciato, ne iterum dissipetur: cui & corbem [a] constrictam oportet imponi, ne depravet dentes & labia. Cum solveris ad curandum, manu, quæ ante composueris, contineto, furfurem & farinam hordei mixta in cophino ad manducandum dabis, ita, ut quamdiu manducat, manus tua a loco, quem continet, non recedat. Cum jam manduca-

re

a) crumenam F. M. S. M.

re noluerit, offerto ei aquam, ut bibat. Cum biberit, curato similiter, ut supra scriptum est: cui & succum ptisanæ[a] convenit dari, si minus fortasse manducaverit. Quem tali observatione per dies quadraginta curatum restitues sanitati.

De cartilagine narium si sanguis fluat.

XXXIV. Jumento narium cartilago si corrupta sit, & sanguis reprimi non possit, spongiam Afram[b] & thuris masculi pollinem commixtum impone ad locum, qui læsus est, & si vulnus factum fuerit in cartilagine, hac ratione curato. Interdum ani- 2
mal despumatum remissus semel de palato sanguis non potest reprimi, propter quam necessitatem, sicut supra scriptum est, in loco, in quo sagitta ruptum[c] est palatum, spongiam imponis, caputque ejus sursum constringe, & aqua frigida renes cerebrumque testiculosque perfundis. Quæ res si tar- 3
dius subvenit, acatiam nigram & thuris pollinem æquis ponderibus ex aceto acerrimo temperabis, totumque caput illinies, donec sanguis ipsa constrictione claudatur.

De palato si vena se non clauserit.

XXXV. Mature periculum creat, cum incisa

a) per nares *ins.* S. b) ustam S. M. c) tactum S. M.

vena claudi non poteſt in palato, ſed continuo[a] ſanguinis profluvium inhibetur, ſi aut candenti cauterio fuerit meatus ille combuſtus, & ſuſpenſum altius caput. Cum per nares ſanguis defluit, nec poteſt aliter retineri, coriandrum viridem ſufficienter tundes, ſuccumque ejus expreſſum, ſubſtricto equo, naribus infundes, frigore naturali venas protinus claudit: chartam etiam & lanam combures, ipſumque pulverem per fiſtulam inſufflabis naribus.

De genere & qualitate mucorum, qui per nares fluunt.

XXXVI. Mucorum etiam qualitates, qui per nares effluunt, convenit noſſe, ex quibus genus paſſionis oſtenditur, & cauſa cognita facilius curari poteſt. Mucus limpidus cotidianus eſt, & niſi nimius[b] fuerit, non debet eſſe ſuſpectus. Craſſus autem & candidus a cerebro defluit, & admonet ad medelam capitis feſtinandum. Rubens, tenuis, frigidus, veteris perfrictionis[c] prodit injuriam. Propter quod thermanticis potionibus calefieri animal oportet. Cœruleus, id eſt, fuſcus, levis[d] ab interioribus venit, qui indicat febrem: & ideo conveniens leptiperiſis[e], id eſt, piretran adhibenda cu-

a) cont. profluit ſanguis, prohibetur autem, ſi S. M. *Accepit ſc. interpolator τὸ* continuo *pro* perpetuo, *ut ſolent barbari.*
b) *ita recte* S. M. minus *alii.* c) perſtrict. S. M.
d) lenis S. M. *neutrum aſſequitur* Geſn. e) liptomeris S. M.

ratio est. Crassus autem, spumosus, & pallidus, 2 a pulmonibus nascitur, qui suspiriosos ostendit: quibus difficile, nisi festinatum fuerit, subvenitur. Fabaceus vero a glandulis serpit, quæ celeriter aut eximendæ sunt, aut ferro curandæ, ne convertantur in morbum.

De cuferino, i. e. cum post cursum sanguis de naribus fluit.

XXXVII. Sæpe ictu vulneris animalibus per nares sanguis fluit, quod vitium cuferion vocant, quod præcipue contingit, si equus ultra vires agatur ad cursum: omni corpore oleo & aceto perungendum est animal, ac loco tepido statuendum, cooperiendum etiam diligenter, dandaque opera, ut molliter cubet, nec ad deambulandum cogatur, sed cibo diligentius reparetur[a]: tunc erucæ[b] unciam 1 cum lacte conteres, & per cornu naribus infundes. Quod si eruca[b] defuerit, aristolochiæ unciam 1, croci semiunciam cum vino dulci conterito, & dejicito per nares. Similiter coriandri viridis succum exprimes[c] & naribus infundes.

De polyposo.

XXXVIII. Si polypus oritur in naribus, præ-

a) temperetur S. M. b) rutæ C. & S. M. c) exprimens nar. C.

cluso spiramine strangulabitur, stertet, humidi profluent muci, pericula[a] passionis plurima: hæc medicina subvenit. Si prope polypus[b] fuerit, acutissimo execabitur ferramento. Curandum his rebus, quibus circumcisa sanantur. Si vero altius fuerit, cauterium plumbeum quadratum facies, ex quo calefacto polypum frequenter inures, & sic polypum sanas.

De siderato.

XXXIX. Jumentum si fuerit sideratum, his
agnoscitur signis. Labia ejus & maxillæ nec non
etiam nares ejus depravantur in parte, ita ut vix
cibaria dentibus inlidat[c]. Quæ etiam humoribus ple-
na reperies, & cum voluerit bibere, os usque ad
nares demerget in aquam; quia infirma sunt labia,
2 quibus haustus[d] attrahitur[e]. Aceto & sale lingua
ejus & labia diutissime perfricantur, donec sanguis
emanat. Tertia die causticum crudum in illa par-
te labii imponis, quæ sentit injuriam, cum caute-
la, ut prius alliges linguam, ne medicamenti vio-
lentia noceat. Cum medicamento labia perusta[f] vi-
deris, aqua lavabis, deinde aceto & oleo fovebis,
3 sicut alia vulnera, & hac ratione curabitur[g]. Si

a) periculosa passio, nisi hæc med. subvenerit C. peric. passio, si hæc med. non subvenit S. M. b) polyposus C. *male*. c) colligat C. S. M. d) angustus spiritus S. M. e) unde *ins.* S. f) deusta C. S. M. g) sanabitur C.

vero maxillam sideratam habuerit & tortam, hæc est cura. De temporibus partis ipsius sanguinem detrahes, fimum bubulum acerrimo aceto permiscebis, & diutissime decoques, & parti temporum, ex qua sanguinem extraxeris, calidum induces sæpius, ut exsiccetur & curet, hac usus potione. Trixaginem, hyssopum silvaticum, origanum, serpillum, aristolochiam, mannam croci, pro æquis ponderibus[a] contundito atque cribrato, ex quo pulvere plenum cochleare, cum aqua mulsa, oleo & vino per narem sinistram ad unam heminam quotidie oportet infundi.

De observatione flebotomi.

XL. Convenit de cervicis curatione dicturo observationem indicare flebotomi: quia circa ea loca
frequenter operatur. Detracturus sanguinem animal
a cibo abstinebis & potu, æquali loco[b] constitues:
tunc locum supra cervicem alius teneat, &[c] adstringat ad normam, ut vena facilius appareat. Deinde
supra laqueum, de sinistræ manus pollice, venam
deprimas, ne ludat, tum[d] sagitta tangas. Duæ au- 2
tem venæ a capite summo descendunt, & conveniunt se sub maxillis usque ad gulam, inde a geminis venis inferius quatuor digitis ferramentum de-

a) partibus C. b) solum *ins.* S. soli C. *melius.* c) atque constr. C. d) cum sag. tangitur C.

primis, ne in gulam mittas, & bifurcum tangas,
& jumentum occidas. Statim sagittam duobus digi-
tis tenebis, nec plus ferri imprimas, quam extra
3 digitos eminebat. Nihilominus etiam mediano digito
manum tuam moderando suspende, ut sit levior,
ne vehementius imprimas, quam oportet: quia non
plus debet, quam mucro descendere. Si parum apte
profluat sanguis, jumento fœnum dabis, aut aliquid,
quod manducet. Agitatione maxillarum plus san-
guinis vena profluet.

De cervicibus.

XLI. Si jumentum cervicem ejecerit, aut laxa-
verit, aut certe vertibulas ejecerit vel extorserit,
hac ratione curabitur. Deponito jumentum[a] atque
constringito, & cervicem ejus extendito supra fos-
2 sam, donec omnia vertibula laxentur. Post oleum
vetus & axungiam veterem tunsam colatamque per-
misces, & cum calefacto eodem unguento cervicem
diligenter infundis, in[b] locum reponis, & fasciam
tenuem & amplam ex oleo tepido & vino made-
3 factam alligabis ad corpus. Lanas quoque succidas
ex oleo & vino infusas supra convertes, post re-

a) in terram *ins.* S. b) & superpone stupam infusam oleo tepido & vino, ligando optime, vel etiam lanam succidam, quæ melior est, & superpone ascellas quatuor digitis latis lino obvolutas, & liga decenter, & si æstas fuerit, quater in die suffundes. *Hæc & nihil præter ea* S. M.

gula soleaginiis non minus quatuor digitis, ita ut tantum spatii sit inter regulas alligatas & connexas, & lino constringes. Et si æstas fuerit, quater in die suffundis; si hiems, bis. Cum modum[a] fecerit, regulas solves: hoc die quinquagesimo & primo, post unctionibus uteris, donec ad sanitatem perducas. Si tardius confirmabit vires, regulatim & solenniter usta curabis.

De malandria, i. e. de vulneribus cervicis.

XLII. Si jumento malandria de cervice auferre volueris, ita facies. Candentia prius cauteria præparabis; deinde ferramento decarnabis sic, ne nervos tangas, & venulas quascunque videris emittere sanguinem, aduris, ut possit cruoris fluxus inhiberi. Cave autem, ne cauteriis plus aduras, & indignatione nervorum periculum facias. Post axungia ve- a
teri cervicem perfricabis, & fascia munies. Sequenti quoque die cataplasma imponere incipies, ablataque[b] ferunta lotio calido fovebis, deinde aceto & oleo dilues, & medicamentis aptis curabis. Si jam videris cicatricem pilos renovare, pulverem ex canino capite combusto, & adipem suillum recentem permisces & inducis: ex quo medicamento & sanitas consequitur, & pilorum redit ornatus.

a) Quid si *nodum*? h. e. cum coierit firmiter.
b) ablato fervore S. M.

De destillatione cervicis.

XLIII. Si cervix destillationem patiatur, tumidior videbitur, quam oportet, fœtorem habebit canceraticum cum humore nigro & liquido. Cujus foramina scrutaberis diligenter, ne ulterius inter
2 nervos aut armorsimum[a] destillationem fecerit. Quod si accidit, pauca hinc difficulter evadunt: nam his signis discrimen ostenditur: stridet de pectore & per nares humorem liquidum projicit: hac ratione curabis. Foramina desuper marrubio & sale pariter contuso implebis, atque calcabis, subter autem cataplasmate apposito laxabis. Et si loci conditio patietur, diæresin dabis, ut foras per plagam[b] humor emanet[c]. Tertio quoque die calida urina lavabis, deinde traumatico & pannis lineis limpida & purata[d] jam vulnera sanare incipies, cujus compositio talis est: Ervi pollinis sextarium, iris Illyricæ uncias 2, thuris masculi uncias 2, miscebis & facies cephalicum[e] medicamentum, quo uteris ad consumtionem[f] medelæ.

De destillatione scapularum.

XLIV. Quod si jumento scapulæ fuerint dissolutæ, diligenter inspicias, ne quas inter nervos &

a) armos sit S. M. b) *ita recte* C. & S. plagas *al.*
c) *Sic* C. & S. emanat *al.* d) depurgata vulg. C. e) faliscum C. f) consummationem C. *ita etiam conj.* Morg. IV, 21.

commissuras pendigines faciat; quod si inveneris, quacunque parte plagas accipere poterit, cataplasmatibus mollire, & scalpello vel cauterio aperire curabis; ut sanies illa atque[a] collectio defluat. Foraminibus autem traumaticum, & linteola sicca dabis[b]: si quod inter nervos foramen factum fuerit 2 cautissime curato, ne ulterius aut ferrum aut cauterium procedat[c], neque putorem[d] neque putredinem lavis[e], sed magis siccis omnibus curare[f] festina. Nam omnis humor destillationi præstat augmentum. Quum incisa vel usta duxerint cicatricem, pro confirmatione in ultimo causticum imponitur.

De armis læsis.

XLV. Si armus læsus erit[g], in medio crure utræque solventur venæ, & pulvere thuris cum eo, qui profluit sanguine copiosissime immisto armi liniantur. Quod si plus profluat, quam necesse sit, stercus ipsius jumenti fluentibus imponitur venis, & fasciis alligatur. Postero quoque die quasi epa- 2 phæresis[h] fit, & ex eisdem locis sanguis detrahitur, atque similis in omnibus cura procedit. Ab hordeo abstinebitur, fœno sustentabitur exiguo per tri-

a) collectionis egeratur C. & S. M. b) linteolo sicco calcabis S. M. calcabis *etiam* C. c) procidat C. d) tumorem C. & S. M. e) *id est* lavas, *ut* 2, 49, 1: lavabis C. f) curabis C. g) læserit C. h) apoferesis F. S. apophæresis Morg. III, 39.

duum: deinde porri[a] tres cyathos, & olei heminam
3 miscebis, & per cornu faucibus infundes. Post sex-
tum diem lente ingredi cogatur, & cum ambula-
verit, mittatur in piscinam vel flumen aut mare,
uti natet, cum spartea[b] & pannis vincto pede: po-
stea firmioribus cibis ad saginam pristinam revocan-
4 dus[c]. Si leviter dolebit, vino & oleo tepefacto
perfricetur in sole: si validius dolebit, ventum in
armum mittito atque pertundito, a summa juba
infra digitos octo ne cartilaginem tangas. Et cum
inflaveris, ferula vel virga molli armum cædito,
sale & oleo perfricato, ipso die postero stracta
5 uteris, cujus hæc erit compositio: Similæ sextarios
duos, si defuerint[d], pollinis triticei sextarios duos,
cum aceto acri & cum tribus ovis miscebis; sed
ovorum solum album mittes: adjicies etiam pulve-
ris thuris unciam semis; quæ omnia manu subigis,
& in armos inducis, & per dies multos armum
aqua calida cum flore fœni fovebis diligenter, ut
mollescat, stractam quotidie imponito, de vino pu-
6 ro armum lavato. Additurus unguentum: baccas
lauri selibram, olei sextarium, vini boni sextarium,
nitri uncias 3, sed nitrum & baccas lauri in pul-
7 verem rediges, & cribrabis. Ex quo in sole, cum

a) succum C. succi S. & Morg. III, 39. b) sparcia F. S. spartia C. *nobiscum* Morg. l. c. c) est *ins.* C.
d) *forte* defuerit.

calida armus fomentatus fuerit, inungatur ex tepido, & diutissime confricetur[a]. Post syncrisma[b] ad curandos armos inducitur, & cum melius habuerit natatum mittito. Quod si ejecerit juxta consuetudinem ad rotam armum, reponito, & supra scriptis medicamentis curato. Si non senserit, ultimum est, ut uratur. Armi doloris hæc sunt signa: pe- 8
dem priorem tentum[c] quasi rigidum aforis extrahit: sed convenit inspici diligenter, utrum ex percussura vel casu cœperit causa[d]; & si ex jectura[e] fuerit, prius locis suis reponenda sunt membra, & sic reliqua facienda. Quod si ex humore vel sanguine armi gravabuntur, sanguinem emittis a pectore, vel unctionibus uteris.

De genu commoto vel basi.

XLVI. Genu vel basim si semoverit[f] ad tormentum rotæ vel machinæ[g], locis suis ejecta restitues, lanam succidam ex oleo & aceto infusam imponis, & alligabis ex more, tertio die solves fomentabisque, post resinam induces & piculam, ad ultimum malagmate[h] uteris aut caustico.

a) *Proximis tribus periodis hæc substituit* S. M. priusquam ungatur, quotidie de vino puro armum lavato, deinde additur unguentum. b) *pro* synchrisma. c) *Præter* S. M. tantum *al.* d) *Præter* S. M. eam *al. quod ortum ex compendio vocis* causa. e) percussura S. M. *sed verum* Gesn. *putat* ejectura. f) *videtur leg.* evomerit. g) macine *omn.*
h) malagama F. *nec insolens in talibus genus femin.*

De fractura articuli, vel cruris, vel coxæ.

XLVII. Impulsu axium vel rotarum in circo
vel in aliis locis varietate casuum animalibus crura
franguntur, aut coxæ vel articuli, in qua neces-
sitate si extra cutem fractura ossis[a] eruperit, hoc est,
si exbercen fecerit, difficilem noveris & prope in-
2 sanabilem curam. Similis desperatio est, si coxam
fregerit, aut acroteria[b], aut supra gambam, insa-
3 nabilis est casus, quia non recipit ligaturam. Si
vero fractura sit sine vulnere in his locis, quæ con-
stringi possunt, hac ratione curabis. Primo fractu-
ram recompones, & fasciis[c] mundis scissilibus infu-
sis ex vino & oleo conligabis, insuper lanarum mu-
nimenta conjunges & regulas circumduces, jumen-
tum autem in canterio[d] vel in scalis vel in suspen-
so loco, ne[e] fractura flebiliter commeet, cui quo-
tidie mane & ad vesperam suffundes, tertio die
solves, & expleta curatione ligabis. Quinto quo-
que, VII aut IX die eadem facies, donec corpus
4 inducat. Post hæc adjicies muscum de vitice, aut
salicis radicem, & ova cruda quinque, verum non
regulis, ut prius, sed circumductis serulis alliga-

a) fractum os S. M. b) acroceria F. & S. *qui utrique in margine notant alios legere* acrocolia, *quæ glossa est τῶν ἀκρωτηρίων, certe synonimum.* c) fascies, mundis *editi. Sed meliora nos docet* Morg. IV, 22. d) *Præter* S. M. cauterio *al.* e) ut fractura velut leviter F. & S.

bis: die tertio solves & fomentabis, de resina & axungia perunges: ubi cura profecerit, malagma[a] vel causticum inducis, non ante tamen permittis stare jumentum, quam dies quadraginta prætereant: hoc autem tempus est, quo divulsa vel fracta solidantur.

De flegmone, marmore, sive mallonibus.

XLVIII. Plerumque in genibus, vel articulis aut phlegmon oritur, aut marmora, aut mallones. Quæ vitia ex malo humore generantur, & passionem cum deformitate tumoris ostendunt: sed ista distantia est, quod phlegmon tuber[b] est molle, marmor duritiam ostendit ex nomine, mallo inflatus tuber est sine dolore; quibus recentibus potest facilius subveniri. Primo lanam succidam ex oleo & 2
aceto induces, contra aquam frigidam & currentem animal constitues: post sine ferro hac ratione curabis. Sinapis & salis Alexandrini scrup. 4, aceti cyathos 2, axungiæ veteris selibram, simul conteres & induces, post diem tertium solvis. Si aper- 3
turam fecerit, spongiam cum aceto & lasere imponis, vulnera styptico curabis. Præterea locum, quem curare volueris, inducto psilothro[c] decalvas,

a) *pro reliquis hujus capitis* S. M. hoc facies per dies quadraginta, & sic solidatur. b) tumor est mollis, marmor ostendit mallon inflatum S. M. c) plilotro *editi*. *Nobiscum ratio; est enim* ψίλωθρον, & Morg. IV, 23.

radicem filicis & ervum & ficus aphros[a] contundes in pila & induces in panno, per triduum ligatum
4 patieris manere. Alii radicem filicis & ervum[b] cum axungia veteri & aceto acerrimo putant oportere misceri. Item cineris quoque de foco uncias 3, calcis vivæ uncias 6, vino subigito ad crassitudinem oxymellis, & antequam obdurescant, tubercula obli-
5 ne. Quod si assidue in recenti feceris, passionis molestia siccabitur: si vetustiora sint, punctis subtiliter inurantur, ne vi & igne vitientur. Talis quoque compositio spargere phlegmon[c] asseritur. Rhododaphnes[d] uncias 3, bituminis, nitri ana uncias
6 3, axungiæ veteris colatæ uncias 3. Plerique dixerunt cauterio cuprino candenti duobus punctis debere perrumpi[e], & phlegmon effundi, licinio[f] quoque intorto cum axungia, & aceto, & oleo loca, de quibus muscus[g] ejectus fuerit, satiare[h]: per foramina etiam ustionis lemniscum trahi debere, ut
7 quidquid humoris est, egeratur. Post hæc cataplasma & fœnugræco & vino[i] confectum inducis, cum[k] usta ceciderint & tumor resederit, lemniscum exi-

a) *Leg.* Afras. b) herbam *pro* herbum S. M.
c) *pro* phlegmonen *discutere & dissipare*. d) *Sic* S. M. Rhododanes F. & S. e) *Ita reposuit* Gesn. *pro* prærumpi.
f) licineo *editum* lineo *male conjecerat* Gesn. g) mucus *conj.* Morg. IV, 23 *quod & sibi in mentem venisse ait* Gesn. h) sanari S. M. i) lino S. M. k) combustio donec ciderit S. M.

mis, traumatico curabis, ad ultimum causticum inducis. Alii sagitta pertuso corio phlegmon effun- 8
dunt, & lanam madidam cum aceto & lasare[a] plagis inserunt; sic spongiam cum pusca acri & lasare supra vulnus imponunt: tertia die solvunt, lanam eximunt, & tetrapharmaco curant quinque diebus vel septem. Si vero marmor habuerit, ex quo 9
validius claudicet, & vix flectat articulos, inurendus est leviter. Cui post feruntam malagma[b], quæ cupressina appellatur, oportet imponi: ex qua curatione sanitas redditur, &[c] deformitas permanet.
Si autem mallon in genibus vel articulis excreverit, 10
continuo curam adhiberi oportet, ne neglecta passione deformitatem tumor augeat, vel obduratione diuturna convertatur in marmor. Aperies in pedi- 11
bus sive genibus dextra ac sinistra vel ferro vel cauterio cuprino, sicut superius declaratum est. Lemniscum trajicies cum aceto, & sale, & oleo, ut supra: cataplasma imponis, donec fervor desinat & saniem faciat. Post purgatis vitiis, lemniscos eximis, & traumaticum imponis, & ternis diebus interpositis solves, & medicamentum renovabis, donec sanetur.

a) *pro* lasere *hic & sæpius*. b) *Forte* malagmam?
c) *Forte* at?

De aquatilibus & ozœnis.

XLIX. Si aquatilia in articulis vel in gambis fuerint, frigido ferro omnino non sunt tangenda, ne abundantia humoris jumento discrimen importet. Sed utendum est scarificatione subtili, & detractione sanguinis, post quæ lavis[a] validissimis, tam cum aceto, quam cum optimo sale tunso, & oleo, vel
2 axungia: per dies quinque conliganda sunt loca. Si tardius hæc cura profecerit, utendum est ferventissimo caustico, ut faciat ustiones. Alia quoque ratione sanantur, si sletam, qua trictores utuntur, & salem pro dimidia parte commisceas, lanamque succidam ex aceto alliges, post diem tertium soluturus. Si aperturam fecerit, farinam hordeaceam ex melle coctam cum lini semine & fœnigræco in-
3 ducis, ad ultimum malagma crudum impones. Præterea atramentum sutorium, gallulas minutas, & alumen æquis ponderibus tunsum cum axungia miscebis, addito pulvere mali granati, nitro & aceto: quæ in commune decocta, vitium, si adjungatur[b], emendat. Ficus siccæ cum sinapi contusæ mixto aceto imponuntur. Post diem tertium soluto medicamento, si tardius profecerit, eadem cura renovatur. Cum melius habere cœperit, alliccem[c] impone

a) *pro* lavas, *ut* 2, 42, 2. *Sed* lanis calidissimis S. M.
b) *debebat* adjungantur, emendant. c) allicem S. *an* halecem?

pone articulis. Alii opoponacem cum farina hordeacea coctum in modum cataplasmatis imponunt. 4
Nonnulli fabam fractam in aqua decoquunt, & mixto melle deterunt & in panno inducentes curant.
Ad ultimum malagma cupressinum imponunt. Plures calcem vivam & cineres ex melle & vino commiscent, & ozænis frequenter imponunt. Ad ultimum caustico utuntur. Quæ genera curarum & posterioribus pedibus adhibenda veterum censet auctoritas. Usus invenit, addito sale & aceto ciliciis ozænas defricare, donec cruor aut tumor emanet. Quæ observatio etiamsi non persanaverit, sequentes tamen adjuvat curas. 5

De pedibus reumaticis, sive ventosis.

L. Interdum reumatici jumentorum, interdum ventosi sunt pedes: quæ vitia nunquam tangenda sunt ferro, sed exsiccanda per malagmas vel causticum, & aliquando urenda leviter per venas, ut cauteriis [a] meatus, qui humorem suscipiunt, angustentur & constringantur, ut pro tempore afferant medicinam. Quia in [b] totum, etiamsi intercisæ & adustæ sunt venæ, non poterit talis causa sanari.

a) cauterii F. S. b) si in totum & intensæ & adversæ S. M.

De impetiginibus.

LI. Impetigines quoque in articulis vel genibus inter nervos commissuralibus locis aliquando nascuntur, & fit vulnus simile rhagadio, & non facile sanatur, nisi stalticis vel stypticis rebus, non sine alligatura, vel interdum adustione curetur. Malagmas quoque convenientes oportet imponi.

De uligine.

LII. Uligines[a] etiam in pedibus, cruribus, unguibusque vel sub armis aliquando generantur, quas quidam dulcedines vocant, habent similitudinem scabiei. Quæ cum se diffuderint, pedes exulcerant ad similitudinem lepræ, & urgente prurigine animalia sibi partes illas corrodunt vel alternis pedibus confricando vulnerant. Quod vitium a[b] crudo vel putrido humore consuevit generari, & idem curatur detractione sanguinis, unctionibus, & purgationibus ventris. Si radix cucumeris silvatici cum nitri pulvere misceatur infusa per fauces, humores pessimos purgat.

De podagra jumentorum.

LIII. Podagra vero nonnunquam solet occupare

a) Urigines Meurs. Crit. Arnob. p. 175 *recte*. b) acritudo humorum consuevit generare, & ideo curantur S. M.

jumenta, cum hominum vitium transit in pecudes:
cujus passionis hæc sunt signa: nec stare potest
nec ambulare, sed si cogatur, claudicat, & sæpe
se projiciet, sicut indigesta ex hordeo animalia fa-
ciunt, quæ[a] propter dolorem non coquunt cibum:
& ideo fit horridum, & corpus ejus calebit, venæ 2
etiam extabunt, natura submissa erit, in pedibus
stercus hærebit propter nimium eorum calorem, si-
cut subtritis solet evenire. Cui proderit, si non si- 3
natur accumbere, sed minutim deambulare & loco
sicco, donec sudet, multorum manibus confrican-
dum est, ut vehementius sudet. Sanguinem ei de-
trahes a capite a superioribus venis, sed non mul-
tum: sequenti die de posterioribus locis detrahes
supra talos: tertio de gambis, vel de sub ipsis do-
lorum locis. Memineris semper parum oportere de- 4
trahere. Aquam calidam dabis in potu, in qua adji-
cies pulverem nitri, & triticeam farinam, polli-
nem quoque thuris acetabulum plenum in vino ma-
ceratum infundis, & triduo per nares singulas co-
tylas: betas etiam excoques, & aquam earum ad 5
tres cyathos suffundes, & exercebis eum singulis
diebus: ventrem quoque eidem expurgabis, ut au-
feratur humor pessimus, qui descendit in venas.
Hoc genus purgationis adhibebis: Thymi acetabu- 6
lum plenum in vino veteri dulci macerabis: & sin-

a) *Forte leg.* quia — coquit.

Digitized by Google

gulas cotylas per nares eidem infundis, fœnum viride adponis: quod si defuerit, siccum nitro aspersum dabis. Si nihil profecerit, castretur, & vitio carebit: nam podagra raro vexat eunuchos.

De orthocolis sive stillosis.

LIV. Orthocola[a] etiam jumenta vel stillosa di-
cuntur, quæ contractionem nervorum patiuntur in
pedibus, & de capitibus ungularum calcant, & sunt
rigidi[b] articuli, plenas ungulas in terram ponere
2 non possunt. Quod vitium nascitur ex enormitate
onerum & labore confragosarum viarum: sed hac
ratione curantur: sanguinem ei de sub cirro vel de
coronis detrahes, ungulas bene compones, pollinem
ex hordeo & resina cum axungia decoques, & ter
in die perunges: tepida quoque, in qua verbena de-
cocta fuerit, confovebis, & tota ejus crura acopo
3 perfricabis. Post dies quinque cataplasmabis eum ex
polline hordei & lini semine & fœnigræco æquis
partibus ex vino decoctis: cataplasma imponis in
omnibus cruribus ante acopo perunctis ab articulis
usque ad genua: quæ loca lanis succidis munies &
4 fasciabis, & ter in die paulatim incedere facies. Si
hoc non profecerit malagmam hanc articulis ejus
imponis. Armeniaci[c], galbani, opoponacis, medul-

a) Articulosa S. M. b) rigidis articulis, & planas S. M.
c) Ammoniaci *marg.* I. A. Fab.

læ cervinæ lib. 2, resinæ terbentinæ[a] uncias 2, apochymatis[b] libram, resinæ frixæ libram S. oleum vetus quod sufficiat, lento igne decoques & colabis, impones in alutam[c] per dies plurimos omnibus pedibus, donèc sani sunt. Sed necessaria festinatio est, quia sic solent remanere, si tardius cura præstetur. Alii vero urendos censent paulatim in arti- 5
culis, sed raro etiam prodest ista medicina.

De pedibus & ungulis.

LV. Animalium ungulæ asperitate ac longitudine itinerum deteruntur & impediunt incessum. Ex tortura[d] quoque, si in aspero vel lapidoso itinere jumenta coguntur ad cursum, indignationes oriuntur. Postremo etiam si nulla causa præcesserit, otiosa in stabulis ex collectione humorum incipiunt claudicare. Oportet autem solum ungulæ celeriter aperi- 2
ri, ut per inferiores partes apostema digeratur, ne eruptionem super coronulas faciant, & difficile ac tardius cura procedat. Cujus hæc sunt signa: Pe- 3
dem priorem planum ponet, quod si suspendere videris gressum, ut diligentius intelligas causam, ungulam subradis, & locum, quem videris nigriorem, digito pulsabis, si cesserit in dolore, & maturum fuerit, aperies, & saniem emittis: pendiginem cir- 4

a) *pro* terebinth. b) *Sic marg.* I. A. Fabricii *pro* apocimatis. c) *forte* aluta. d) contusione S. M.

cumcides ad vivum: ex oleo roseo, & aceto & sale cum stercore ipsius linteola imponis, animal calceabis, tertio die solvis: si caro excrescit, gramen
5 decoques cum oleo & impones. Si videris carnem ipsam nigrescere, inspicies, ne aliquam fracturam habeat, neque[a] clavum aut lapidem acutum, aut spinam: propter quod fomentis & resina utaris, ut possit educi. Cum purum videris vulnus, traumaticum impone. Post quod adjicies fuliginem siccam.
6 Cum autem compleveris curam, resinam remissam[b] & sulphur imponito. Quod si adhuc in alto apostema fuerit, hordeum vel fabam in aqua decoques, & exinde fomentabis, ut exinde ad maturitatem
7 possit adduci. Subtritos pedes fomentabis aqua calida, axungiaque veteri perunges: deinde testa candenti decoquis, oleo post & sulphure pariter con-
8 trito lamina candente leviter ures per triduum. Si vero contuderit, sanguinem de corona emittes, & calida fomentabis, axungia veteri perunges, ovinum quoque stercus cum aceto permiscebis & imponis; quamvis alii caprinum efficacius credant.

Si pulmunculum ad aperturam fecerit.

LVI. Si jumentum ad aperturam pulmunculum fecerit, scias totum solum, hoc est assem, hac

a) aut S. M. *sed respondet ij neque τῷ ne interroganti.*
b) tenuissimam S. M. *male.*

ratione tollendum: ungulam subradis, deinde inter commissuram calcis & assis in circuitu incidis, sublevabis a parte priore & solum calcis retroversus expelles, ubicunque pulmunculus fuerit, radis ad vivum, & adjicies lanamentum[a] ex oleo, & aceto, & sale, & stercore ipsius (imponas) & calceas, tertia die solvis & tollis: post hoc fomentabis[b]: farinam hordeaceam, resinam & acetum decoques, per triduum impones; hoc enim medicamento etiam fracturam curabis, si frequenter apponas. Post etiam traumaticum cum liniamento impone, & cum corpus fecerit, corium mali granati & bitumen Judaicum ex aceto decoques & impones triduo, & cum solveris, iterum impone donec obdurescat in cornu[c].

Si exungulaverit jumentum, & si suffusionem pedum patiatur.

LVII. Si exungulaverit jumentum, cura difficilis, sed profutura, si non egebit industria, papyrum candelarum purgatam, subtiliter carpis, intingis in ovi crudi albumento circa nudatum pedem in circuitum pones, panno & fasciolo superligabis, post diem tertium solvis, fomentabis farina frumen-

a) linimentum S. *forte* linamentum. *Sed neque* lanamentum *damnaverit* Gesn. b) ferruminabis S. M. c) corium S. M. *male*.

tacea, resina, aceto & melle pariter decoctis, in-
2 terdum lomentum[a] pro farina mittis. Si vulnus non erit purum, vino tepido lavabis, liniamenta cum melle impone: cum purgaverit, traumatico uteris. Cum autem duxerit cicatricem, corium fabæ[b] cum pelle cervina combures, ex melle temperabis, addito pulvere bituminis Judaici & mali granati, cum aceto: alternis diebus medicamentum renovabis, do-
3 nec cornu ungulam faciat. Ad ultimum sparteam[c] veterem contundes, ex aceto in olla nova decoques, ex quo ungulam obdurescentem obvolves, & ad plenam revocas sanitatem. Si suffusiones pedes patiantur, ficus siccas cum sale pro æqua parte contunde[d] & ungulis impone.

De pedibus attritis sive mollibus.

LVIII. Animalibus exiguæ[e] ungulæ crescunt, vel attritæ reparantur, si allii capita 7, rutæ manipulos 3, aluminis tunsi & cribrati uncias 7, axungiæ veteris pondera 2, stercoris asinini plenam manum commisceas ac decoques & utaris. Prudentius consilium est pedum tueri sanitatem, quam passionem curare. Corroborantur autem ungulæ, si jumenta mundissime sine stercore vel humore stabu-

a) stercus S. M. *quod recte rejicit Rhodius Lex. Scribo. h. v.*
b) fove cum melle, quod vino conjungis, & S. M.
c) sparciam *editi*. d) *Editi* contonde. e) *h. e. nimis parva*. Gesnerus.

lentur, & roboreis pontibus[a] consternantur. Articuli quoque vel suffragines post iter calido[b] foveantur vino. Naturaliter autem molles ungulæ soli- 2
dantur, si hederæ seminis duas partes & aluminis rotundi unam partem pariter contundas, & calceatis[c] pedibus per multos dies inducas. Item subtritis pedibus prodest, picis liquidæ selibram, aceti heminam, salis libram, hederæ foliis, quantum sufficit, pariter contundis, & laboranti quotidie pedes perunges. Mollissimæ ungulæ hoc uno medicami- 3
ne, quo potentius nihil est, assolent indurari: lacertum vivum viridem in ollam novam mittis, adjicies olei veteris libram 1, aluminis[d] Judaici selibram, ceræ libram, absinthii tunsi selibram, & decoques cum lacerto. Cum fuerit resolutum, calentia uni- 4
versa colabis, abjectisque ossibus & purgamentis, liquatum medicamen in ollam remittes, & cum ungues indurare volueris, ungulam subradis, & factum unguentum in cannam viridem mittes, adhibitis carbonibus prope fervens, per cannam instillas ungulis: provisurus, ne coronam tangas aut ranulas[e], si[f] his exceptis, in solo & in circuitu solidaturus ungulam confricabis. Memineris autem ungulas excre- 5
scendo renovari, & ideo interpositis diebus[g] vel sin-

a) *forte* pontilibus. b) calida fov. & v. S. M. c) calciatis Edd. d) *forte* bituminis. e) ramulas, quæ excrescendo renovantur S. M. f) *forte* sed. g) *an deest numerus?*

gulis mensibus talis cura non deerit, per quam naturæ emendatur infirmitas.

De dorso confirmando.

LIX. Animalium dorsa ut laboris plurimum sentiunt, ita diligentius sunt curanda[a]. Exceptis enim his, qui deputati sunt circo, reliquum mulorum, equorum, asinorumque genus sub sellis aut sagmis solo tergo præstat officium. Unde laudabilior industria est, quæ incolumitatem tuetur, quam quæ
2 cupit læsa curari[b]. Nam diligentia defendit a vitio, si centones vel saga primum sufficientia, deinde mollia imponantur, & lota[c], atque ad tempus diligenter excussa, ne aliquid sordidum[d] aut asperitatis inhæreat, quod sub pondere inulceret[e] pellem: tunc[f] sagmarum vel sellarum mensura conveniens,
3 & apta qualitas debet adhiberi. Si enim ista minora fuerint vel majora, angustiora, vel ultra modum lata, vel quæ non congruunt, graviter nocent. Hinc enim collisiones, suppurationes, apostemataque nascuntur, cum nimis locis inæqualibus premitur pondere, vel discentes[g] tracturam mercurius aut spina deteritur. Ipsorum[h] quoque pondere, etiamsi in stratis nulla sit culpa, enormitas

a) scrutanda S. M. b) curare S. M. c) lata S. M.
d) *forte* sordium. e) exulceret S. M. f) *forte* tum.
g) vel discindens fractus incurrit S. M. h) *forte* ipso, *vel* ipsorum ponderum.

nocet, & ideo temperanda est mensura, ne inferat vulnus.

De dorso curando jam læso.

LX. Quod si dorsum sedentis injuria tumere jam cœperit, in recenti statim mallonem ceparum, id est calamos siccos, unde fasces dependent, in aquam ferventissimam mittis, & aliquamdiu maceratum, calidum super tumorem impones, fascia constringes vel cordiscum superimpones, una quoque nocte manere patieris: absque suppuratione palpabitur tumor. Quod si clavum fecerit, farinam hor- 2
deaceam cum foliis caulium contundis pariter & tepidam impones. Cinerem quoque cum oleo miscebis & inducis, quam diu clavus cadat: cum ceciderit, lipara utere cum minutissimis pannis, vel mel cum linteolis: cum ulcus purgaverit[a], Lycio[b] percurabis.

Si pulmunculus nascitur in dorso animalis.

LXI. Si pulmunculus natus fuerit in dorso, difficile est, eum medicamentorum appositione siccari: sed si parvulus fuerit, cautere, & præcipue cuprino aperiendus est, ut sanies, quam collegerat, egeratur: tunc curandus est, sicut moris est, usta cu-

a) purgaveris S. M. b) licio *Edd.*

Digitized by Google

rari. Sed commodius est pulmunculum decussatim ferro secare & eximere, ita ut pellem ad modum præcidas, ne, cum cicatricem duxerit, inveniatur
2 epidermis: oleum, acetum, & salem continuo addis in plagam, & ne nimius sanguis erumpat, stercus ipsius vulneri superponis & colligabis, die tertio folia caulium tunsa cum oleo & aceto imponuntur per dies quinque. Cum jam ducere cicatricem cœperit, Lycio curabitur.

Si vulnus fecerit.

LXII. Si vero fecerit vulnus, indulgebis otium, ut diligentius[a] curetur, & recepta sanitas confirmetur induciis, nec imponendus est labor, qui rescindat adhuc teneras cicatrices. Sanatur autem[b] ulcus si gallas Syriacas combustas cum melle superimponas. Pulveres quoque corticum pini & flos[c] calcis vivæ æquo pondere miscebis, & vulneribus inspergis.
2 Pilulas quoque cypressi tunsas & cribratas, & cortices quercus tritos & in pulverem redactos mittis. Præterea ossa sæpiarum & testas etiam ostrearum in pulverem rediges, & ærei quoque vasis fuliginem pariter miscebis, quæ bene tunsa si frequenter asperseris, siccatum vulnus ducet celerius cicatricem.

a) & *ins.* S. b) omne S. M. c) *Leg.* florem *vel* flores.

Ut pili renaſcantur.

LXIII. Quod ſi pili tardius creſcunt, vivam teſtudinem ſupra ſarmenta combures, & cineres ejus in novum cacabum mittes, additis unciis 3 aluminis crudi, medullæ[a] cervinæ quod ſufficit, & vino infuſo decoques, & diebus plurimis imponis: revocare pilos creditur. Pulvis de fabis combuſtis vel de lupinis crudis, vel de foliis fici combuſtis, ſevo[b] commixtus ſuperponitur aſſidue. Quod ſi nulla præcedente cauſa decidunt pili, ſpicam nardi, & uvas paſſas pariter tundes & ex aceto decoques, calidumque medicamentum glabro corpori impones.

De denigrandis pilis albis.

LXIV. Si album pilum nigreſcere cupias, atramenti ſutoricii[c] ſcrupulos 7, rhododaphnes ſuccum[d] ſcrupulos 4, ſebi caprini quod ſufficit, pariter temperabis & uteris.

Ut pili nigri albeſcant.

LXV. Si e diverſo albos pilos facere volueris, cucumeris ſilveſtris radicum libram unam, nitri ſcrupulos[e] 12, in pulverem cogis, heminam mellis adjicies, quibus permixtis uteris.

a) etiam *ins.* C. b) vino F. M. C. c) ſutorii C. veteris drachmam 1 S. M. d) ſucci drachmas 111 S. M. e) ſcrip. C. *recte.*

VEGETII RENATI

ARTIS VETERINARIÆ

SIVE

MULOMEDICINÆ

LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM.

I. De obſervanda boum ſanitate. Rubricæ c. 1. *II. De morbis boum, & primo de malleo. Rub. c.* 2. *III. De cruditate. Rub. c.* 3. *IV. De febre. Rub. c.* 4. *II.*[a] *Si vermes animal ſecerit. Lib.* 3. *III.*[b] *De cura lumborum. IV.*[c] *Quibus ſignis dolor renum indicetur. V. De internis muſculis renum. VI. Si talus exeat animali. VII. De dolore renum. VIII. De tu-*

more testium. IX. *Si natura revocari non possit.* X. *Si jumentum sanguinem minxerit.* XI. *De dysenteria.* XII. *Si otiosum animal sanguinem mingat.* XIII. *Si animal sanguinem evomat.* XIV. *Si percussa vena claudi non possit.* XV. *De indignatione vesicæ.* XVI. *De fluxu ventris.* XVII. *De verrucis.* XVIII. *De vitiis coxarum.* XIX. *De laccis gambarum.* XX. *De gamboso.* XXI. *De his quæ læduntur a rotis.* XXII. *De syrmatico, id est quod coxam subito trahit.* XXIII. *De morbo alienato.* XXIV. *De roborosis.* XXV. *De hydropicis.* XXVI. *De sarcostis.* XXVII. *De tympaniticis.* XXVIII. *De lienosis.* XXIX. *De impleƐtico.* XXX. *De phragmatico.* XXXI. *De eo qui aquam timet.* XXXII. *De spasmo.* XXXIII. *De epilepsia.* XXXIV. *De eo qui aquam revomit.* XXXV. *De sideratitio.* XXXVI. *De percusso a sole.* XXXVII. *De cruditate.* XXXVIII. *De bulimo.* XXXIX. *De anhelitu.* XL. *De æstu.* XLI. *De paralytico.* XLII. *De intrinsecus rupto.* XLIII. *De insania.* XLIV. *De pletura ex hordeo.* XLV. *De passione pulmonis.* XLVI. *De ejeronica, vel orthotonico, vel ortholistephico.* XLVII. *De opisthotonico, & empisthotonico.* XLVIII. *De lethargico.* XLIX. *De morbo regio.* L. *De bili, id est choleribus.* LI. *De bili arida.* LII. *De coli passione.* LIII. *De vomica.* LIV. *De coriagine.* LV. *De stomachico.* LVI. *De ictterico.*

LVII. De stropho. LVIII. De dolore jecoris. LIX. De inflatione ventris. LX. De intestini vexatione. LXI. De tussi. LXII. De tussi, quæ venit si quid faucibus hæserit. LXIII. De tussi ex perfrictione. LXIV. De tussi a colibus. LXV. De tussi ab interioribus. LXVI. De vulsis. LXVII. De tussi quæ ex humorum acerbitate generatur. LXVIII. Ad tussim siccam, vel ad suspirium, & arteriam exasperatam. LXIX. Ad vomicas & tussim. LXX. De diversis potionibus vulsorum & tussientium. LXXI. De scabie. LXXII. Si animal fœno malo lædatur. LXXIII. Si hordeo malo lædatur. LXXIV. Ad fascinum. LXXV. Remedium contra omnes morbos. LXXVI. Si animal lædatur dum accipit potum. LXXVII. Si animal a venenatis bestiolis mordeatur. LXXVIII. Si bustrepem comederit animal in fœno. LXXIX. Si vipera percusserit animal. LXXX. Si araneum comederit. LXXXI. Si sphalangius percusserit animal. LXXXII. De mure araneo. LXXXIII. Ad ictum scorpionis. LXXXIV. De canis rabidi morsu. LXXXV. Si animal comederit stercus gallinarum.

PROLOGUS.

MULO MEDICINÆ me commentarios ordinante, civium atque amicorum frequens querela, accepti[a] operis continuationem suspendit, deflentium ægritudines, mortesque clamosissimas[b] boum, cum magnopere peterent publicandum, si quid pro salute tam commodorum animalium scriptum reperiretur in libris. Cedens itaque familiarium honestis- 2
simæ voluntati, ex diversis auctoribus enucleata collegi, pedestrique sermone in libellum contuli. Cujus erit præcipua felicitas, si eum nec scholasticus fastidiat, & bubulcus intelligat. Maximo au- 3
tem incitamento mihi fuit ipsorum boum utilitas & gratia, sine quibus nec terra excoli, nec humanum genus sustentari ullatenus poterunt. Cuncta igitur legumina sive frumenta bobus merito aratrisque debentur: vinearum ipsarum usus periret, nisi eorum adminiculis subvehendis carpenta sudarent. Quid de 4
diversorum onerum comparatione[c] referamus, dum inter mobilia & quidquid gravius est, absque vehiculis pene reddatur immobile? Reliqua quoque animalia, ipsæque cohortales aves ex eorum capiunt

a) *forte* incepti *aut* occepti *adeo*. b) damnosissimas S. M. Gesnerus *suspicabatur* calamitosissimas. c) *Quid si* comportatione? Gesn.

labore substantiam. Unde enim equis hordeum,
unde cibum canibus, unde porcis pabulum domino-
rum solertia ministraret, ni pararentur boum làbore
5 frumenta? Et ne longum faciam, bobus debent ali-
menta, quidquid ali potest. Apud alios genus mu-
lorum, apud alios camelorum, apud paucos elephan-
torum licet exiguus usus est: nulla potest natio es-
6 se sine bobus. Postremo ut ad providentissimorum
virorum scripta redeamus, quorum firmatur aucto-
ritas, justitiam jumentorum cæde violenta [a] dereli-
ctis terris ad siderum remeasse consortem [b]. Quid
potest laudabilius reperiri, quam ut nomen [c] æquis-
simum, boum fugaretur interitu? quod dum homi-
7 cidia fierent permanebat in terris. Duplicem igitur
solicitudinem oportet impendi, ut sanitas incorrupta
maneat, & ægritudo, quæ ex casu vel negligentia
sive labore contracta est, competentis medicinæ cu-
retur ratione.

De observanda boum sanitate. Rubricæ c. 1.

CAP. I. UT longævi & sani sint boves, bubul-
cum convenit providere vel dominum, quatenus fri-
goribus calidissimo [d] cubili muniantur, & si fieri po-

a) *forte* violatam. b) consortium *conj.* Morg. l. c.
c) numen *conj.* Morg. l. c. d) calidissimum cubile munia-
tur S. M.

test, semper foco vicini sint boves. Quodam enim 2
beneficio naturali ejusmodi animalibus semper ignis
commodum[a] est, sive quod inutilis & pestifer hu-
mor exudat, sive conceptum ex pastu vel opere fri-
gus expellitur, sive in flammarum halitu interna
curantur. Præsepium oportet extructum esse dili- 3
genter, ne quid pabuli inter pedes animalium pe-
reat. Bovile autem loco sicco[b] statuendum est, as-
sidueque mundandum est, ita, quod quotidie pa-
bulum ad edendum inutile substernatur, ut boves
siccius & mollius cubent. Par quoque studium est, 4
cum boves revocantur ex opere, ut colla eorum
ex vino tepido perfundantur, & diutissime perfri-
centur. Cum vero de via vel pastu redeunt lutu- 5
lenti, adhibita, priusquam deducantur ad bovile,
aqua diluendi pedes, ne inhærentes corpori sordes
ulcera generent, vel ungulas faciant molliores, vel
certe molestiam manducantibus, vel inquietudinem
afferant dormituris. Sed hieme omni solertia frigus 6
est prohibendum, velut æstivis mensibus pura aura
quærenda. Per diem igitur sub umbra, per noctem
sub divo boves stare convenit. Non enim pauciores 7
si æstuaverint, quam si alserint, colligunt morbos.
Præterea unum ovum crudum cum hemina salis,
& sextarium vini per singula capita septimo[c] dif-

a) accommodatus atque utilis est, ut pestifer humor, & frigus expellatur S. b) calido S. M. c) die *ins.* S.

8 fundi percommodum est. Juvat etiam, si allium tunsum hircino misceas sevo, herbam quoque verbenam additam deteras, rutam herbam, etiam[a] pol-
9 linem inungas[b], & cum vino per os digeras. Cavendum præcipue est, ne aut cursu nimio, aut longo itinere fatigentur, vel ullis gravioribus certe oneribus affligantur: nimiam enim lassitudinem sequitur ægritudo, & omne animal est debile, si
10 rumpitur. Aquam quidem istius generis animal non requirit nitidissimam, nec usque adeo læserit, si sordidam biberit. Sed tamen bubulci diligentius[c] est, procurare, ut mundam semper & optimam bibant.
11 Maxime autem studendum est, ut competentibus redundantibusque[d] saturi semper habeantur & pingues. Omnis enim ægritudo exordium sumit ex macie. Exhaustum[e] animal celerius labor frangit,
12 æstus vexat, frigus penetrat. Non solum enim æstivis mensibus pascuum sufficit, ubi[f] frondes diversi generis addantur, & minuat varietas ipsa fastidium. Hieme[g] non tantum paleis, sed fœno quoque &
13 hordeo, & sæpius ervo saginandi sunt boves. Nullus autem uberiores ciborum repudiabit expensas, qui considerare voluerit, boum per inopiam pereun-

a) ervi S. M. b) teras S. M. c) diligentissime S. M. diligentis *conj.* Morg. IV, 25. d) cibariis saturatos semper habeant S. M. e) Vacuum igitur S. M. f) nisi S. M. *recte*. g) autem *ins.* S.

tium quam cariora sunt [a] pretia. Adversum [b] boum morbos non minor adhibenda est diligentia, quam equorum.

De morbis boum, & primo de malleo. *Rubr. c. 2.*

II. Nam equinum genus morbus, qui appellatur malleus, diverso genere passionum emigrans [c] per plures contagione [d] consumit, boves quoque idem morbus interficit [e], sed a diversis diverso nomine
vocatur, quem plerumque vulgus appellat. Hic 2
morbus bovem si quando tentaverit, istis agnoscitur signis: Erit pilo horridus & tristis stupentibus oculis, cervice dejecta, salivis assidue per os fluentibus, incessus pigrior, spina rigidior, fastidium
maximum, pauca [f] ruminatio. Cui si inter initia 3
subvenire tentaveris, discrimen evadet: si per negligentiam adhibeatur tardior cura, vetustioris morbi
non potest superari pernicies roborata [g]. Inter 4
exordia igitur tædianti bovi adversus omnes morbos potio ista succurrerit: tres semis uncias squillæ minutatim concisas, præterea radices teneræ populi effossas & diligenter lotas contundes [h] in pila, &

a) *forte* sint. b) *Hic incipit caput secundum* S. M.
c) migrando S. M. d) contagiones S. M. S. contagione *verum eſt, junctim legendum* perplures. e) consuevit interficere S. M. f) parva S. M. g) Potio contra omnes morbos boum *inſ. S. quod lemma fuit*. h) *Geſnerus repoſuit pro* contondes, *juſſu etiam* Morg. l. c.

tria ex iis pondera, addito sextario salis, in vini septem sextarios mittes, & per septem dies per os
5 bobus singulos sextarios digeres. Quod si toto anno adversus omnes ægritudines desperatas boves stagnare[a] volueris, incipiente vere, id est ab Idibus Februarii quindecim diebus continuis, hanc potionem dabis omnibus diebus, quæ usque adeo salutaris est, ut approbatum sit integro anno boves sic
6 curatos nullius morbi contagione tentari. Talis etiam compositio & morbis resistit, & vires animalium firmat: folii caprinis[b], folii mirti silvestris[c], folii cypressi ana uncias tres[d] diligentissime deteres, infundes in congium aquæ, & una nocte sub divo manere patieris, & inde[e] unoquoque bove tepefacto per triduum singulos sextarios dabis: quæ potio ad stagnanda animalia quater in anno facienda est ultimis temporibus veris, æstatis, autumni, & hiemis.
7 Morbos ægritudinesque depellit: tres uncias baccarum lauri, gentianæ, aristolochiæ longæ, myrrhæ[f] betonicæ diligentissime detere, & misce cum mero, ex quo trinas heminas triduo jugiter jumento per os
8 dabis. Spicæ quoque allii tritæ, cum vino quoque per nares infusæ, purgant capita jumentorum. Ova cruda cum melle jumentorum faucibus inseruntur,

a) præservare S. M. *alterum alterius glossa est*. b) capparis S. M. c) ana uncias III *ins.* S. d) sex S. M.
e) jejuno bovi tepefactum S. M. f) intuba *ins.* S.

Digitized by Google

atque ita fastidium ac nausea discutitur. Expedit
tamen, salem pabulis misceri, marrubium quoque
tritum mane cum oleo vinoque diffundere. Thuris 9
pulverem cum mero sive per nares injeceris, sive
per os dederis, prodest. Nec minores medicinæ bo-
bus horum[a] copia subministrantur. Nam porros, ru-
tam, apium, & herbam sabinæ[b] si quis large dete-
rat & misceat vino, ternasque heminas præbeat ad
potandum, ægrotantibus subvenit. Plurimique cau- 10
lem vitis albæ concisam atque serpillum & squillæ
partem in aqua macerant, ternasque heminas per
triduum digerunt, quæ potio ventrem purgat, vi-
res quoque confirmat. Ad interna autem curanda 11
præcipue amurca creditur salutaris, si tantundem
aquæ misceas, & animal bibere consuescat. Sed quia
licet sitiat, potum fastidiat[c] ignotum, primo cibi
asperguntur, deinde aqua exigua potio medicatur,
ad ultimum pro mensura miscetur, & usque ad sa-
turitatem sitientibus datur. Quocunque autem tem- 12
pore, sed maxime æstate, si boves concitentur ad
cursum, aut alvus eorum ad perniciem solvitur,
aut febriculæ commoventur. Natura enim pigrum,
& labori potius quam velocitati accommodum[d], ve-
hementer læditur, si ad opus cogatur insuetum.

a) Gesnerus *conjecerat* hortorum: *sed* horti S. M. b) savi-
næ *Edd.* c) fastidit *conj.* Morg. III, 40. d) *intell. aut*
ins. animal.

13 Periculosum quoque est, si ad præsepia sues aut gallinæ pervenerint. Nam bos, cum gallinæ fimum inter pabula sumserit, statim nimio ventris dolore torquetur, inflatusque[a] moritur: cui[b] hac ratione succurri convenit: Apii seminis uncias 3, cimini[c] sextarium[d] semis, & duas lib. mellis commisces, & tepidum per os infundes, ac tam diu ambulare compellis, & confricas manibus plurimorum, donec ven-
14 trem potio moveat. Gisni quoque cum vino deterere, & per os dare creditur salutare remedium. Lixivium quoque ex arbore ulmi, vel cujuscunque generis ligni cinerem, dummodo bene coctum[e], cum oleo miscebis, & liquidum ac tepidum diffundere
15 per fauces, adversus stercus plurimum[f] prodest. Si autem porcinum stercus bos devoraverit, statim pestilentia contagionis solius[g] mallei sustinet morbi. Qui cum semel in gregem vel armentorum vel domitorum incesserit jumentorum, statim omnia animalia, quæ levem suspicionem[h] habuerunt, de possessione[i] tollenda sunt, & distribuenda illis locis, ubi nullum pecus pascitur, ut nec sibi invicem, nec aliis noceant: nam pascendo herbas inficiunt, bibendo fontes, stabulo[k] præsepia: & quamvis sani

a) ipsa hora *ins.* S. b) si statim hac ratione non succurris S. M. c) *Quid si* aminei? Gesn. d) sextarios sex S. M. e) cribratum sit S. M. cretum *conj.* Morg. IV, 27. f) pullinum S. M. g) illius S. M. h) languoris *ins.* S. i) pascuo S. M. k) *Quid si* stando *vel* stabulando? Gesn.

boves, odore morbidorum afflante depereunt. Usque eo etiam mortua cadavera ultra fines villæ projicienda sunt, & altissime obruenda sunt sub terris, ne forte ipsorum corporum interna sanorum contingantur & pereant. Uno [a] quidem vocabulo pestilen- 16
tia appellatur, sed habet plurimas species [b], quas enumerare non licet (vel piget): facilius ipsa principia a diligentibus intelligi possint. Est itaque hu- 17
midus (humor [c]), quoties per os & nares humor effluit bobus, & fastidium ægritudoque consequitur. Est siccus, quoties nullus humor apparet, sed animal quotidie macescit & fit deterius, nec juxta consuetudinem appetit cibos. Est articularis, quoties interdum de prioribus, interdum de posterioribus pedibus claudicant boves, cum habeant ungulas sanas. Est & subrenalis, quoties a posterioribus debilitas appareat, & quia lumbi dolere creduntur. Et farciminosus, 18
quoties per totum corpus bobus tubercula exeunt, aperiunt se, & quasi sanantur, & iterum in aliis locis exeunt. Est & subtercutaneus, quoties hu- 19
mor pessimus in diversis partibus corporis [d] bobus erumpit & decurrit. Est elephantiosis, quoties velut scabies minutæ cicatrices [e] exeunt extra corium, & ad similitudinem lenticulæ. Est mania [f], quæ

a) *Novum caput*, de speciebus pestilentiæ boum &c. S. M.
b) diversas *ins.* S. c) *Leg.* morbus. *Lemma Cod. Corb. hic*, signa morbi humidi. d) per corium *ins.* S. M. e) pustulæ circa nares vel collum exeunt S. M. f) & insania S. M.

Digitized by Google

refectis bobus eripit sensum, ut nec audiant more
solito, nec videant: ex qua passione celerrime mo-
20 riuntur, quamvis hilares pinguesque videantur. Hi
omnes morbi contagione sunt pleni, & si unum
animal apprehenderit, celeriter ad omnia[a] tran-
seunt, & sic interdum aut integris armentis, aut
omnibus domitis afferunt interitus. Unde omni stu-
dio quæ semel tentata fuerunt, segreganda sunt
animalia, & ad ea loca mittenda, ubi nullum ani-
mal pascatur, ne contagione sua omnibus periculum
generet[b], & negligentia domini (sicut solet a stul-
21 tis) divinæ imputetur offensæ. Evincendi tamen
sunt, & exquisitis remediis expellendi quamvis acer-
22 bissimi morbi[c]. Panacem supplassariis[d] comparas. E-
ryngion autem herba dicitur, quæ in littore nascitur
prope undam maris, florem habet quasi aureum vel
galbineum, folia ejus sunt quasi folia cardui silve-
stris, inter arenas littorum largissime spargitur:
has effodies, & in umbra siccatas servabis: adver-
sus morbum tam equorum quam boum plurimum
23 prosunt. Ex quibus potio componitur ista: Radicis
panacis, itemque radicis herbæ eryngii ternas un-
cias, seminis quoque fœni[e] uncias 3 pariter deteres
diligenter, addisque farinæ triticeæ sextarium, ita

a) plura S. M. b) generent *forte leg.* inferat S. M. c) variis expensis curantur *ins.* S. d) *forte* a seplasiariis.
e) fœniculi S. M.

ut prius frumentum frangas & molas: quæ omnia de calida fervente conspergis, & cum melle vel sapa novenas offas singulis[a] diebus digeres. Præterea san- 24
guinem marinæ testudinis colliges, & cum vino per os dabis: quam quia invenire difficile est, vulgarium testudinum prodesse æstimant: quod utrum bene opinantur[b], usus viderit: nam auctores de terrestri testudine tractaverunt[c]. Pulverem[d] & cassiæ 25
fistulæ, necnon etiam thuris pro æqua parte admisces, ex eo unam semis unciam cum sextario vini veteris in die per nares bovis infundis. Quod medicamentum per triduum facies. Morbi quoque, 26
quos superius nominavimus, amari sunt, & non nisi amaris potionibus superantur[e]. Nam contraria contrariis potionibus curantur ratione medicinæ. Ideoque pulverem herbæ absinthii & crudorum lupinorum, herbæ quoque centaureæ vel peucedani æquis ponderibus diligenter misces & in sextario vini veteris trina cochlearia singulis diebus, additis unciis 3 olei[f], per os dabis. Præsens quoque remedium 27
experimentaverunt[g]: Radiculam herbæ consiliginis (quam alii pulmonariam vocant, alii tantundem[h] radiculam) sinistra manu ante ortum solis collige

a) inde dabis singulis bobus S. M. b) *pro* opinentur.
c) tacuerunt S. M. *recte*, *opinatur* Gesn. d) myrrhæ *ins.* S.
e) curantur S. M. f) singulis bobus *ins.* S. g) experimenta docuerunt S. M. *Ad hunc locum pertinere videtur lemma Corbei:* de bubus radicandis. h) *forte* tantum.

(quia sic majorem vim habere creditur) tunc ad acum vel acutum cuprinum pars auriculæ, quæ lata est, quasi in circulo signatur, adprematque[a],
28 ut rupta cute leviter sanguis exeat. Quod cum ex utraque parte feceris, medium orbiculum perforas ad acum, & in eodem foramine inseres[b]: quod ubi exierit, omnis pestilentiæ virus per ipsum defluit vulnus, donec ille solus locus, qui designatus est, putrescat & decidat, atque ita animal liberetur.
29 Visci[c] folia cum vino trita defunduntur in nares, atque ita singulis bobus, sive universis gregibus,
30 cum morbum incurrerint, subvenitur. Suffimenta quoque plurimum juvant, sulphur, bitumen, allium, origanum, semen coriandri[d] carbonibus insperge, & cooperta boum supra vas, in quo suffimenta incenderis, diutissime continebis, ut fumus os eorum capiat ac nares impleat, atque ita ad cerebrum &
31 interna salutari remedio[e] penetret. Sed & totum suffimentare percommodum est, ut ab eodem morbi[f] pernicies expellatur, & cætera pestilentiæ contagio non coinquinet. Generalia igitur remedia adversus morbos generales contagiososque retulimus, nunc adversus valetudines, quæ singulis animalibus accidunt, nec in alia transeunt, remedia subjungemus[g].

a) *forte* adpremiturque. b) radiculam *intell.* c) Usci *Edd.*
d) æqualiter misce, & vivis *inr.* S. e) salutare remedium S.
f) morbo *Edd.* g) conscribamus S. M.

De cruditate. Rub. c. 3.

III. Cruditas plurimum nocet, cujus hæc sunt
signa: crebri ructus, cibi fastidiüm, sonitus ventris,
intensiones nervorum, oculi hebetes: propter quæ
nec bos ruminat, neque linguam[a] detergit, ut so-
let. Prodest itaque, ut[b] duos congios, ubi bibi pos-
sit, digerere per fauces: post quos statim brassicæ[c]
triginta caules modicas[d] decoques, & ex aceto da-
bis, suspensumque animal ab alio cibo penitus absti-
nebis. Alii cruditate laborantes, clausos in bovili 2
detinent, nec cibos præbent: præterea lentisci &
oleastri cacuminum pondera 4 deterunt, & cum
lib. mellis atque aquæ congio miscent, quæ una
nocte sub divo mittunt, atque ita faucibus digerunt.
Deinde interposita hora, macerata infusaque ervi 4
lib. objiciunt, ab alio quoque cibo vel potione pro-
hibentur[e]. Nam si neglecta fuerit cruditas, ventris 3
inflatio intestinorumque subsequitur, exprimit ge-
mitus, cibosque capere non sinit, nec in loco[f] con-
sistere, decumbere & volutare[g] cogit, caudamque
frequenter commovet. De experimento medicina
est caudam juxta clunes resticula vel lino vehe-

a) lingua se *conj.* Morg. III, 1. b) calidæ S. M. c) brassica F. d) modice *conj.* Morg. l. c. e) *debebat* prohibent. f) loca S. *quod falsum & κακέμφατον.* g) volutari *conj.* Morg. III, 2.

menter astringi, vinique sextarium cum hemina olei tepidum dare per fauces, atque ita per mille quingentos passus bovem currentem trahere: si dolor permanserit, ungulas ejus secare, & uncta manu per anum fimum extrahere, & rursus agere cur-
4 rentem. Si tardius proficit, tres partes lauri diu conteruntur, & cum duplici aquæ calidæ dantur. Si [a] ista non valent, myrtæ silvestris foliorum duæ lib. tunduntur in pila, & duæ [b] ex calida aqua miscentur, ac per vas ligneum faucibus infunduntur: atque ita sub cauda quatuor digitis ab ano percussa vena sanguis emittatur. Qui cum satis effluxerit papyro ligata cauda restringitur: post conci-
5 tatus bos agitur usque dum anhelet. Ante detractionem tamen sanguinis adhibentur ista remedia: tribus heminis vini, quatuor unciæ contriti allii permiscentur, postque potionem cogetur currere: duæ quoque unciæ salis cum decem unciis [c] ceparum atteruntur: mel quoque decoctum admiscetur, ex quo facta collyria longiora non parum valida immittunt in anum, ut ventrem resolvant: atque ita bos cur-
6 rere cogitur. Ventris quoque & intestinorum dolor sedatur, si anseres natantes, & maxime anates animal aspexerit. Nam anas mulos, etiam equinum
7 genus conspectu sui celeriter sanat. Sed interdum

a) si laurus non adest S. M. b) duo sextarii S. M.
c) cepis *conj.* Morg. III, 2.

Digitized by Google

nulla[a] medicina convenit sequiturque torminum vi-
tium, quorum signum est, si cruentum mucosum-
que ventrem ediderit: singulare remedium est cu-
pressinæ[b] quindecim, verbenæ quindecim gallæ dili-
gentissime tritæ[c], quantum utræque ponderantur,
tanti ponderis vetustissimus caseus, quibus pariter
detritis admiscentur vini austeri sextarii 4, & in
potu dantur, ita ut lentisco[d] mixtaque oleastri ca-
cumina præbeantur. Si venter cœperit fluere, & 8
videris egere corpus & vires capito plerumque inu-
tilem reddit, quia ex cibariis ad medelam bovis nil
pervenit, (quod sic videris per ventrem projicit,
quam quod manducaverit.) Quæ cum acciderint, 9
prima die a cibo & potu abstinendum est, ita,
quod[e] nec secunda die bibere permittatur, cacumi-
na tamen oleastri & cannæ silvestris, itemque bac-
cæ lentisci & myrti dandæ sunt, nec post triduum
etiam potestas bibendi, nisi perparum conceden-
da est. Sunt, qui ex foliis lauri teneris libram 1, 10
abrotanum hortense pari portione, deterunt cum
aquæ calidæ 2 sextariis, atque ita faucibus infun-
dunt, pabulaque[f] superius præbent. Aliqui vero 2 11

a) in illa F. S. b) cupressi baccas, & Gaubræ ana xv, bene tritas, & tantundem vetustissimi casei S. M. c) & *ins.* Morg. III, 5. d) lentisci myrtique & oleastri *conj.* Morg. l. c. e) *pro* ut, *quod forte librariis potius quam auctori debetur.* f) quæ *ins. conj.* Morg. III, 6. *mox* sæpius *pro* superius S.

Digitized by Google

lib. ex vinaceis ad focum torrent & conterunt, & cum[a] sextario vini austeri ad bibendum dant, & commemorata[b] sæpius[c] cacumina objiciunt. Quod si neque proluvies ventris erit, neque intestinorum dolor, recusat tamen cibos, & prægravato capite erit[d]: lacrymæ quoque oculis & pituita naribus currit, usque ad ossa frons media uratur, auresque ferro discindantur, sed usturæ igne[e] factæ ut sanescant, veteri urina bovis ipsius confricandæ sunt :
12 aures vero scissæ picula oleoque curantur. Periculosum fastidium bobus ranulæ faciunt, quæ aperiendæ sunt, & allio cum sale pariter trito ipsa vulnera confricanda, ut omnis humor exeat provocatus. Melius creditur, si ad acutam cannam exseces ranulam: post vino os lavatur. Interposito unius horæ spatio virides herbæ vel frondes dantur. Tam diu autem sustentantur mollibus cibis, donec facta vulnera cicatrices ducant. Si neque ranula fuerit, & non appetent cibum, allium tritum cum oleo naribus infundes.

De febre. Rubr. c. 4.

IV. Bos si febrire cœperit (quod ex venarum inquietudine & calore totius corporis vel oris intelliges)

a) 11 sextariis Morg. III, 6. b) cummerata *Edd.* Gesn. *obsequitur rationi &* Morg. l. c. c) *forte* superius.
d) est *conj.* Morg. III, 7. e) igneæ *Edd.*

liges) una die a cibo est penitus abstinendus, ita,
ut postero jejuno eidem sub cauda exiguum sangui-
nem detrahas, atque interposita hora triginta[a] par-
vos aculeos[b] decoques, & ex oleo ac liquamine per
os digeres, eamque escam per dies quinque jejuno
dabis. Præterea cacumina lentisci, vel olivarum, 2
vel tenerrimum[c] quemque frondem, ac pampinos,
si eodem tempore sunt, præbebis in cibo. Labra
quoque ejus deterges ad[d] spongiam, & aquam fri-
gidam ter in die offeres ad bibendum, ita, ut in-
fra[e] tectum bos febriens teneatur, nec antequam sa-
natus est, dimittatur in pastum. Febrientis autem 3
ista sunt signa: Lacrymæ profluunt, gravatur ca-
put, oculi semiclausi sunt, labra salivis madida,
longior & cum quodam impedimento tractus spiri-
tus, frequenter & gemitus. Tussis boum non mi- 4
nus diligenter sananda est, quam equorum[f]: si re-
cens fuerit, sextarius farinæ hordeaceæ cum uno
ovo crudo & hemina passi per os datur jejuno:
gramen quoque concisum tunsumque admixta farina
fabæ frixæ & pollinis[g] lentis, sextario[h] aquæ cali-
dæ miscetur, agitataque diligenter per os diffundi-
tur. Veterem tussim sanant duæ libræ hyssopi ma- 5
ceratæ ex aquæ sextariis tribus, quod infusum te-

a) trigesima *Edd.* b) coliculas Morg. III, 8. c) tenerrimam quamque Morg. l. c. d) spongia S. M. e) intra S. M. f) quæ *ins.* S. g) *forte* polline. h) sine cortice sextariis duobus aquæ. S. M.

ritur, & cum duabus partibus farinæ[a] miscetur, & per os datur, super quod aqua hyssopi, in qua[b] (decoctum) infusum decoctumque etiam[c] propinatur
6 ad cornu. Porri etiam succus expressus cum oleo & ipsi febri[d] cum hordeacea farina remedium præstant. Radices quoque ejus diligenter lotæ, & cum farre triticeo contusæ, jejunoque datæ, discutiunt vetustissimam tussim. Idem præstat ervum, si[e] in pabulis cum ptisana hordei molitum[f], & cum aqua tepida vel mulsa in fauces salivanti[g] ore dimis-
7 sum. Suppuratio, quam apostema dicunt, melius ferro aperitur[h]; post cum expressum pus aut sanies fuerit, sinus ipse, qui eam continebat, urina bubulina calida lavatur, ac linamentis ac stuppis sive
8 linteolis pice liquida & oleo infusis curatur. Quod si colligari[i] ea pars, ubi est ulcus, non potest, lamina[k] candente sepum caprinum aut bubulinum stillatur. Aliquanti[l], cum vitiosam partem inunxerint[m], tunc urina veteri humana lavant, atque ita æquis ponderibus pice liquida[n] cum veteri axungia inco-
9 quunt & liniunt. Sanguis cum ex aliqua necessita-

a) lentis *inſ.* Morg. III, 10 *ex* S. M. b) qua videlicet infusum Morg. *ibid.* qua *etiam* S. M. aqua *al.* c) est *inſ.* Morg. *& habet* S. M. d) ipsa fibra *conj. elegans* Morg. III, 11.
e) sine valvulis *conj.* Morg. *ibid.* f) mollitum *Edd.*
g) salivati more *legendum etiam jubente* Morg. l. c.
h) quam medicamento *inſ.* S. i) collui *legendum videtur* Morg. III, 12, k) lana *Editi.* l) Quidam vero S. M.
m) inusserint Morg. n) picem liquidam Morg.

te ad pedes venerit boum, claudicationem affert. Quod cum accidit, inspicito ungulam, invenies eam ultra solitum calere, & vitiatam partem premi vehementer bos non patitur. Sed si sanguis adhuc super ungulas in cruribus est, ad triduum triti sa-
lis perfricatione discutitur. Quod si tantum[a] in un- 10
gues descenderit, cultello leniter[b] inter duas[c] ungues aperies, & mundabis deintus, & postea stuppam sale atque aceto infusam applicabis ad[d] solum, sparta opere calceatur, maxime[e] quæ datur operantibus, & in aquam non mittat pedem, sed, ubi siccum est, ambulet. Qui sanguis, nisi emissus fue-
rit, saniem[f] creabit. Quo suppuratio etiam[g] cura- 11
bitur. Nam primo ferro circumcisus expurgatur ad vivum. Deinde pannis aceto & oleo & sale madefactis impletur, mox axungia veteri & sepo hircino pari pondere ferro candenti stillantibus curatur, &
perducitur ad sanitatem. Si sanguis in interiori 12
parte ungulæ est, nec aperturam facit, & tantum claudicat animal, extrema ipsius ungulæ ad vivum resecantur, & ita remittitur, ac stuppa vel linteolis cum sale & oleo aceto infusis pes involutus spartea[h] munitur. Mediam vero ungulam ab inferiori

a) jam *conj.* Morg. III, 13. b) leviter *idem*. c) duos *debebat*. d) ac solea spartea pes calc. Morg. l.c. e) maximeque datur opera, bos ut in aquam — sed ut sicce stabuletur Morg. l. c. f) ramicem S. M. g) tarde S. M.
h) sparta *Edd.*

parte non expedit aperiri, nisi eo loco, in quo sup-
13 puratio facta est. Si claudicat ex dolore nervorum,
oleo & sale genua poplitesque & crura confricanda
sunt calido aceto, & lini semen aut milium detri-
tum infusumque aqua mulsa imponendum est, &
spongia quoque ferventi aqua infusa & expressa,
conspersaque postmodum melle, genibus circumda-
14 tur ac fasciis alligatur. Quod si humor est cum
tumore, fermentum vel farina hordeacea ex passo
aut aqua mulsa incocta imponitur, & cum matura-
verit suppuratio, scinditur ferro, emissaque sanie
15 (ut supra docuimus) percuratur. Potest etiam ra-
dix lilii vel squilla cum sale, vel herba sanguinalis
(quam polygonon [a] Græci appellant) vel marrubium,
ferro aperta sanare. Omnis autem corporis dolor,
si sine vulnere est, recens fomentis mellinis [b] discu-
titur: vetus autem uritur, & supra vulnus vel bu-
16 tyrum, vel caprina instillatur axungia. Scavies sa-
natur trito allio defricata: eodemque remedio ra-
biosi canis sanatur morsus [c], vel lupini vulnus illa-
tum. Vetus quoque salsamentum utramque perhi-
betur plagam curare. Ad scabiem quoque præsen-
tior medicina ista est: Si cunila bubula sulphurque
conteritur, admixtaque myrrha cum oleo atque ace-
to decoquitur, & cum tepescere cœperit, alumen

a) palaganon *Edd.* b) melius S. M. Morg. III, 16.
c) morbus *Edd.*

scissum tritum inspergitur[a]: quod medicamentum
candente[b] sole illinitum prodest. Ulceribus gallarum
tritarum pulvis inspergitur. Succus quoque marru- 17
bii impositus cum fuligine sanat. Infesta[c] pestis est
bubulino pecori (quam coriaginem[d] rustici vocant)
cum pellis ita dorso hæret, ut apprehensa manibus
deduci non possit a costis: quæ res non aliter ac-
cidit, quam si bos ex languore aliquo ad maciem
deductus est, aut sudans in opere[e] faciendo refriguit[f],
aut si lapsus sub onere vehementer est infusus in
pluvia: quæ quandoque[g] perniciosa sunt, custodire 18
debemus, ut, cum ab opère redierint boves adhuc
æstuantes anhelantesque, vino aspergantur, & of-
fula panis vino infusa faucibus eorum inferatur[h].
Quod si prædictum vitium inhæserit, expedit deco-
quere laurum, & cum calida & oleo & vino spi-
nam dorsumque animalis confricare contra pilum,
ac per omnes partes apprehendere pellem, & velut
a costis separare. Quod aut in loco calidissimo fa- 19
ciendum est, aut sub divo sole fervente. Aliquanti
feces[i] vini & axungiæ commiscent, eoque medica-
mento tepido post fomentum prædictum utuntur.

a) quo ungatur ad solem fortiter *ins.* S. b) candentis olei *Edd.* c) Pessima S. M. d) maginium *Edd.* e) corpore faciente *Edd.* Gesn. *sequitur* S. M. Columellam & Morg. l. c.
f) *pro* refrixit.. g) quoniam Col. & S. M. h) inseratur Morg.
i) fraces vino Morg. III, 20.

20 Est etiam gravis pernicies, ut[a] cum pulmones exulcerantur, unde tussis & macies, ad ultimum vero phtisis invadit, quæ mortem afferant[b]: radix consiliginis, succus porri omnium[c] hemina per mensuram olei miscetur, & bibendi sunt cum vini sexta-
21 rio per dies plurimos. Nonnunquam & tumor palati ciborum fastidium facit, crebrumque suspirium. Prodest palatum ferro aperire, ut profluat sanguis, cui ervum sine corio maceratum ad manducandum dabis, viridemque frondem vel quodlibet aliud molle
22 pabulum, dum sanetur. Si in operibus[d] contuderit collum, præstantissimum remedium est, sanguis ab aure emissus. At si id totum in tempore, quæ vo-
23 catur amati amaticum sale tantum & imposito. Si cervix mota & dejecta[e] est, considerabimus, in quam[f] declinet, & ex diversa parte sanguinem detrahimus[g], ex ea vena, quæ in aure videtur amplissima, quæ sarmento[h] prius verberanda est, & cum intumuerit, ferro aperiatur, effusoque sanguine postero die ex eo loco emittitur cruor, & biduo va-
24 catio operis datur. Tertio vero die levis injungitur labor, & paulatim ad operis consuetudinem revo-

a) & cum *Edd. male*: *forte* illa, cum. b) Cui *ins.* S.
c) instar heminæ pari mensuræ *ex Col.* Morg. III, 20. *Pro* omnium *suspicabatur* Gesn. circiter. d) opere bos *eleganter* Morg. III, 22. e) ejecta *noster* 2, 41, 1. f) partem *ins.* Morg. III, 23. g) detrahemus *idem*. h) *Sic* S. M. & *ex* Colum. Morg. sarcotata *reliqui*.

catur. Quod si cervix in neutram partem dejecta
est, mediaque intumuit, ex utraque auricula san-
guis emittitur. Qui si inter[a] triduum, quod bos vi-
tium cœperit, emissus non èst, intumescit collum,
nervique tenduntur, & ita nata durities jugum non
patitur. Tali vitio comperimus aptum esse medica- 25
mentum[b], ex pice liquida & bubula medulla, hir-
cino sepo, & axungia veteri, oleo quoque veteri
æquis ponderibus impositum[c], concoquitur, quo
utendum est, cum bos ab opere disjungitur: & in
piscina in quolibet[d] tumore[e] cervix lavatur, confri-
caturque diligenter prædicto medicamento, detersa-
que diluitur. Si ex toto propter tumorem cervicis 26
jugum recusat, paucis diebus requies ab opere dan-
da est, & cervix cum aqua frigida lavanda & spu-
ma argenti linienda est. Celsus quidem tumenti[f]
cervici herbam, quæ vocatur avia[g] (ut supra dixi)
contundi & imponi jubet. Quæ[h] cervicem infestant
minor est cura. Nam facile sanantur per ardentem
lucernam oleo instillato. Melius tamen est custo-
dire, ne nascantur venæ[i]. Etiam colla calvescunt, 27
quæ non aliter glabra fiunt, nisi cum sudore aut

a) *forte* intra. b) quod *ins.* Morg. III, 24. c) compos. in-
coqu. Morg. l. c. d) qua bibit S. M. Colum. Morg. l. c.
e) tumor cervicis Morg. *ex* Colum. f) *præter* S. M. Colum.
Morg. III, 25. jumenti *alii*. g) ama F. S. avena S. M.
h) clavorum qui cerv. Morg. *ex* Colum. i) neve etiam colla
calvescant. *id.*

pluvia cervix madefacta est in opere. Quod si ac-
ciderit, pulvere lateritio trito priusquam dejunga-
28 tur[a], bovis colla conspergi oportet. Et cum exsic-
cati[b] fuerint, exinde[c] oleo iterum infundi. Si talum
vel ungulam vomer læserit, picem duram & axun-
giam cum sulphure & lana succida involvito, &
candente ferro supra vulnus imponito & ungito[d]:
quod remedium optimum facit, si clavum calcave-
rit, aut acuta testa vel lapide ungula pertunditur:
quæ tamen si altius vulnerata est, latius ferro cir-
cumciditur[e], ita inuritur, ut supra præcepi. De-
inde spartea[f] calceata per triduum aceto suffuso cu-
29 ratur. Quod si vomer[g] intraverit, lactuca marina,
quam Græci cyniolam[h] vocant, admixto sale imponi-
tur. Subtriti etiam pedes eluuntur calefacta bubuli-
na urina. Deinde favillam[i] sarmentorum ferventem
calcare compellitur, & pice liquida cum oleo vel
axungia cornua ejus unguntur. Minus tamen clau-
dicant, si ab opere disjunctis frigida pedes laventur,
& suffragines coronæque ac scissura ipsius ungulæ,
30 veteri axungia defricentur. Frequenter etiam vel
ab asperitate itineris, vel in proscindendo duritiam[k]

a) disjungantur boves Morg. III, 25. b) siccati *idem*.
c) subinde oleo inf. *idem*. d) ure S. M. inurito Morg. III, 26.
e) & *ins*. Morg. f) *sic ex* Colum. Morg. ex parte *Edd.*
g) crus vulneraverit S. M. *ex* Colum. Morg. h) tithymallum *iidem*. i) favilla fervente *Edd. cum* Gesn. *ratio* & Morg. III, 27. k) duritia — obluctatus *ex* Colum. Morg. III, 29.

soli, aut obviis radicibus obvolutatus convellit ar-
mos: quod cum acciderit, ex prioribus cruribus
sanguis emittitur, si dextram[a] ex sinistro[b]. Et si
vehementius utramque vitiaverit, etiam in anterio-
ribus[c] cruribus venæ solvuntur. Perfractis vero cor- 31
nibus, linteola, sale, atque aceto & oleo imbuta
ponuntur, superligatisque per triduum eadem in-
funduntur. Quarta die tantum[d] axungia cum pice
arida & cortice pini pari pondere imponitur, & ad
ultimum, cum jam cicatricem producunt, subito[e]
infricatur. Solent autem neglecta ulcera vermes crea-
re, quæ, si mane ex aqua frigida perfundantur, ri-
gore ejus contracti, decidunt; vel si hæc ratio nihil
profecerit, marrubium aut porrum conteritur, ad-
mixto sale imponitur, vel calcis vivæ pulvis insper-
gitur, aut cucurbitæ viridis succus cum aceto mit-
titur. Ideoque universis ulceribus picem liquidam, 32
oleum vetus & axungiam oportet adhiberi, & extra
vulnera etiam eodem medicamento circumliniri, ne
infestentur a muscis, vel vermes creent cum vul-
neribus inciderint. Serpentis quoque ictus mortife- 33
rus est bobus, sed & minorum animalium noxium
virus. Nam vipera & Cæcilia[f] cum in pascuis
bos improvide supercumbit, stimulo[g] morsus impri-

a) *debebat* dextrum — utrumque. b) Columella *addit*, si lævum in sinistro. c) *debebat* posterioribus. d) *forte* tandem: Colum. demum. e) fuligo *ex* Colum. Morg. l. c.
f) celicia F. S. g) *forte* stimulatæ.

munt. Araneus[a] quoque, quem Græci Mygalem[b] appellant, parvi quidem corporis, non parvam solet inferre perniciem. Verum viperæ venenum depellit, supra tumorem, qui inflatur ex ictu, scarificatio ferro facta, ita ut herba, quam personatam[c]
34 vocant, imponatur trita cum sale. Creditur, radix si contusa ponatur[d], vel siler montanum reperiatur, & trifolium Symonianum[e], quod fragosis locis efficacissimum nascitur, odoris gravis, bitumini similis, propter quod a Græcis asphaltion[f] appellatur, nostri autem propter figuram acutum trifolium vocant: nam longis & hirsutis foliis viret,
35 caulemque robustiorem facit, quam pratense. Hujus herbæ succus cum vino faucibus infundatur, atque ipsa folia cum sale trita imponantur in plagam. Quod si viridem minime reperiunt, semina ejus collecta & trita dantur ad potandum cum vino. Radices quoque ejus cum succo[g] caulis tritæ, addita hordeacea farina & sale, cum aqua mulsa
36 scarificationi superponuntur. Est etiam præsens remedium, si fraxini cacumina tenera conteras cum sextariis vini quatuor vel olei, expressumque succum faucibus infundas. Itemque cacumi-

a) Mus *ins*. Morg. b) *Sic* Colum. migalten *Edd.* c) *Sic* *et* Colum. Morg. III, 31 personatiam *Edd.* d) *sic idem*: conatur *Edd.* e) Simoniamum *Edd.* f) asphalton *Edd.*
g) suo caule Morg. III, 32.

na ejusdem arboris cum sale trita læsis naribus[a] su-
perponas. Cæciliæ enim morsus tumorem, suppu-
ratumque generat: idemque facit muris aranei. Sed
Cæciliæ morsus sanatur, si acu ærea locum læsum
compungas, & creta Cimolia[b] ex aceto oblinis[c]:
muris vero pernicies, si animal ipsum oleo mersum 37
neces, & plagam dentium ex eodem confrices:
quod si non fuerit, contritum ciminum cum picu-
la[d] & axungia, ut similitudinem malagmæ habeat,
impositum plagæ, perniciem submovet. Quod si an- 38
tequam tumor discutiatur, suppuratio fuerit gene-
rata, optimum est ignea lamina vel cauterio col-
lectionem aperire, quidquid vitiosum est inurere,
atque ita cum liquida pice & oleo inlinere. Qui-
dam vivum murem araneum creta figulari circum-
dant, & collo[e] boum suspendunt, morsusque ipsius
bestiæ submovent. Oculorum vitia plurima in illis[f] 39
sanantur. Nam sive intumuerunt aqua mulsa triti-
cea farina conspergitur & imponitur, sive album
in oculo est salis fossilis Hispani vel Armeniaci[g],
vel[h] cum melle permixti vitium extenuat. Idem
præstat trita[i] sepiæ testa, & per fistulam oculo ter
in die insufflata. Prodest etiam radix, quam Græ- 40

a) partibus *idem*. b) Cimolea *Edd.* c) *debebat* oblinas.
d) pice liquida *conj.* Morg. III, 32. e) *pro* colla *ex* Colum.
f) melle *ins.* Morg. III, 35. g) *pro* Ammon. h) Cappa-
docis *ins.* Morg. i) tritæ *Edd.*

ci silphion[a] vocant, nostri autem laserpitium; hu-
jusmodi quantum volueris ponderis cum decima
parte salis Armeniaci & cum fistula oculo insufflas:
quæ radix tunsa & cum oleo lentisci mixta vitium
expurgat. Si genæ humorem profundunt, lacrymis-
que visus confunditur (quam epiphoram vocant) po-
lenta ex hordeo mulsæ[b] aquæ conspersa super ge-
41 nas superciliaque imposita reprimit humorem. Pa-
stinaca quoque agrestis, quam armoneaceam[c] vocant,
cum melle trita oculorum sedat dolorem. Memine-
ris vero quoties mel aliosve succos remedio adhi-
bes, ut prius pice liquida cum oleo circumlinias
oculos, ne a muscis apibusve vel vespis infesten-
42 tur, quas dulcedo mellis invitat. Plurimumque[d]
hirudo, id est, sanguisuga, cum foris juxta fauces
hæret, sanguinem trahit, eam a jumento digitis
oportet auferri: sed si interius sit, ut manu detra-
hi non possit, cannam vel fistulam perforatam in-
serito faucibus, ac per eam calidum oleum infun-
43 des. Nam eo contactu bestiolæ importunitas rece-
dit. Odor quoque cimini[e] super carbones impositi
ubi sanguisugam afflaverit, evellet a vulnere. Quod
si stomachum vel intestinum tenuerit, calido aceto
44 per cornu infuso necatur. Machina[f] quoque descri-

a) silpion *Edd.* b) mulsa aqua Morg. c) armoracea Colum.
d) Plurimumque quoque *malit* Gesn. e) cimicis *e* Colum.
Morg. III, 36. f) Machinæ *conj.* Morg. III, 37.

benda est fabrica, qua conclusa cujusvis generis jumenta bovesque curantur, ut ei tutus ad pecudem medendum accessus sit, nec luctando quadrupes aut membra conuxet[a], ac sic remedia despuet. Roboreas asses[b] constringis, solium, quod in longitudine[c] novem pedes debet habere, in altitudinem[d] pars posterior[e] duos, semipedem: pars vero, quæ ad priora[f] animalium pertinet, quatuor pedes: texuntur 45
ita, ut velum[g] in caudam ductum non possit exire. Sed a parte posteriori paululum latiorem[h], a priore strictiorem machinam compingi oportet. Cui 46
transversum tigillum[i] ad modum jugi confirmandum est, ad quod equorum capita, vel boum cornua religantur. Nam reliquum corpus ad temones socios, vel funibus alligetur, ut juvamentum[k] præstetur ad medentis arbitrium. Quæ machina ad omnium majorum animalium medelam solet esse communis.

Si vermes animal fecerit Lib. 3.

II[b]. Si vulnus in dorso, aut quacunque parte corporis cœperit habere vermes, & timetur, ne putredo vulneris[l] transeat in cancrum, nepitam[m] &

a) convexet *conj.* Morg. b) Roboreis assibus compingis solum *id.* c) longitudinem *id.* d) latitudinem *id.* e) prior *id.* f) posteriora *id.* g) velut in caveam *id.* h) altiorem *vult* Morg. i) trigillum *Edd.* k) *glossa magisterialis pro* jumentum. l) ulceris migret C. m) *pro* nepetam.

cedrinam[a] sive cyminum vel cicutam conteres ex aceto & impones[b]. Calcem quoque vivam ex aceto acerrimo temperatam, necare vermes experimenta docuerunt. Si vermiculus[c] dorso putredinem fecerit, utilissimum est cauterizare[d] subtiliter, postea viscum cum melle & vino conterere & imponere. Pannos quoque minutos cum oleo & aceto vulnera purgare manifestum est. Quo facto si necessitas fuerit[e] ustio rursus adhibetur. Ad ultimum cornu caprinum combustum & contritum valet, ulceribus superinspergitur, ut[f] recuperetur, & sanitas ei detur.

De cura lumborum.

III[b]. Lumborum quoque cura vicina est. Nam animalia, aut cum nimio pondere, aut cum transcendere fossam conantur, si posteriores resederint pedes, aut nimio frigore[g] dolorem renum contrahunt. Ideoque aqua calida cum flore fœni diutissime confovendi sunt lumbi. Inunctionibus[h] etiam calidissimis perfricandi, & ad ultimum afronitri[i]
2 diluti inducto caustico corroborandi. Quod si dolor vehementior fuerit, de inguibus[k] solvendæ sunt ve-

a) cedriam C. b) imponis *Edd.* c) mercurius F. & S. M. C. d) cauteriare C. e) suaserit C. f) & ad redintegrationem sufficit sanitatis. g) frigoris dolore renum contrahuntur F. S. *cum* Gesn. C. & S. M. *nisi quod* dolorem renes. h) Unctionibus C. i) afro nitro *omnes*. k) *pro* inguinibus.

næ, &[a] oleum cum axungia, sanguini qui profluit
immixta renibus inlinuntur. Et si necessitas fuerit
cataplasmis utendum est. Potio quoque renibus sub- 3
venit, si pilulas cypressi incidis[b] duodecim supra car-
bones[c], nitri quoque uncias tres assis[d] & utraque
in pulverem redigas, cum unciis tribus mellis, &
vini veteris sextariis tribus, & olei boni tribus un-
ciis, quod per quatriduum æqua parte faucibus di-
geras. Vitio lumborum medetur hemina seminis bras- 4
sicæ, cum sextario polentæ attusa ex aqua frigida
subacta atque imposita[e] dolentibus locis. Sisymbrium
quoque cum polentæ sextario, & aqua subactum
medetur. Efficacius tamen est, si cypressi folia ad
modum heminæ diligentissime contundas, & polen-
tæ sextarium admisceas, acrique aceto subactum[f]
dolenti imponas. Præterea resinæ duræ uncias sex 5
decoquas, ut liquescat, cui ferventi[g] superaspergis
hordeaceam farinam, quam diu inspissetur ad simi-
litudinem pulmenti, & diu subactum, & calidum
ita, ut manus pati possit, superillinis renibus. Quod
si frequenter renovaveris, & dolori subvenit & tu-
mori. Si vero tanta indignatio fuerit, ut ejusmodi
non sentiat curas, aut cauterio cuprino, locis op-

a) tunc sale, oleo & ax. C. b) viridis XI super C.
c) exuras *ins.* C. d) unc. III acis C. e) compos. infunde naribus S. M. f) *præter* C. subactis *al.* g) frequenter superasperges C.

portunis urendo deprimes puncta, ne deformetur animal, aut si vilius est, & necessitati aptius, quam decori, craticulatim, sicut moris est, ures.

Quibus signis dolor renum indicetur.

IV[b]. Renum autem dolor his agnoscitur signis: Posteriores ungulas trahit, lumbi vacillabunt, cauda dejecta erit, fæculentum minget, ilia dura atque contracta. Interdum tales[a] sunt renes, ut sanguinem mingant, & si nimium effuderit, incurabilis est passio. Si parum cruoris abundaverit[b], scito posse curari. Cui post detractum[c] sanguinem vel de matrice vel de femoribus, hanc potionem dabis, videlicet, porri sectivi succum ex aqua.

De internis musculis renum.

V. Sæpe musculi, qui in renibus sunt, vexantur ex casu, & exteriores[d] facilius curantur, si justæ medelæ afferunt[e] tarditatem. Optimum est, quoties ceciderit jumentum, loco non moveri, & aqua fri-
2 gida perfundi, & postmodum unguentis uti. Quæ passio ista[f] consuevit ferre indicia: renes obdurescunt, contrahuntur[g] testes, coxamque trahit, & colligere

a) ita læsi C. b) habuerit C. c) detractionem sanguinis de C.
d) de exterioribus *al.* exteriores C. *quid si* exterius? Gesn.
e) *forte* ferunt *h. e. patiuntur*. f) hæc consu. præferre ind. C.
g) & contrahuntur, vultus erit tristis C.

ligere se non poterit. Quæ valitudo nascitur ex itineris longi fatigatione, aut ab infractu [a] clivosarum viarum. Incitatio quoque cursus, & saltus extensio, hanc adferunt causam. Sanguinem igitur ex visceribus oportet emitti, prout qualitas corporis patietur. Utendum est potionibus etiam ad valetudinem [b] necessariis, molli dormitione animal collocandum.

Si talus exeat animali.

VI. Ex perfrictione nonnunquam animalibus foras exit extalis: qui hac ratione curatur. Scalpello scarificabis, præcipue loca quæ videntur eminentiora, similiaque vesiculis, scarificatio digitis exprimitur, & decarnatur, pulvere salis perfricatur, donec cum sanguine actus [c] humor exsiccetur. Post calida & sale fovebis & deprimendo [d] intus remittis, & continuo revertetur ad locum, unde exierat. Altera intus digitis missis inlita lipara [e], vel meliloto, donec sanetur. Quod vitium si ferro tangere 2
dubitas, hoc medicamento curabis quotidie: Castorei uncias tres, salis triti pondera duo, salis Ammoniaci lib. unam, sinopidis [f] Ponticæ sescunciam: hæc omnia tunsa & cribrata pariter decoques, impones extali, & alligabis, quotidie autem lixivio

a) anfractu C. S. M. *Sed editum non damnaverit* Gesnerus.
b) causam C. c) totus C. d) deprimes intusque remittes C.
e) lypparia *Edd.* f) sinapis Pontici uncias 6 *Edd. cum* Gesnero C. *&* *ita conj.* Morg. IV, 51.

calido fovebis, & medela continua, usque ad sanitatem. Potionibus autem thermanticis calefiet ægrotum. Alii in hac passione, cum axungia ad manum extale fulciri & reponi oportere, dixerunt, postea spongiam[a] apponi caudam supra alligando[b]. Si tamen diebus aliquot fuerit cura neglecta, prius foveri[c] ad sex ex lixivio, vel sale, & urina calenti, & sic reliquà curationibus[d] impleri.

De dolore renum.

VII. Dolor[e] renum animalibus sæpe contingit[f];
his proditur signis: nec incedere poterit, nec cu-
bare, ilia ejus inflantur & obdurescunt: quorum
2 ista curatio est: Sanguis de utrisque femoribus
emittitur, postea lotium vetus[g] & putridum in va-
se supponitur, & lapides molares ferventes[h] mit-
tuntur, animal sagis diligentissime, usque ad un-
gulas operiatur, ut vapore lotii venæ testium su-
dent, post aqua calida confoventur, nitrum & alu-
men scissum[i] pariter conteres diligenter, & admix-
3 to oleo testes perunges fricando. Si molares (la-
pides[k] defuerunt, qualescunque calefacies, & mittes
in lotium. Alia quoque) hujus rei proditur medi-

a) spongia *omn.* b) alligabis C. *ut modo* adpone. c) adserunt ex lixivia vel sale, & muria calenti &c. C. d) curationes C. *pro* curationis. e) Testium d. C. f) qui *ins.* C. g) ejus putr. C. h) illic *ins.* C. i) spissum *marg.* C. k) *inclusa supplevit* Gesnerus *ex* C.

Digitized by Google

cina. Lentis heminam unam decoquis, admixto vino mortario teres, cypressi folia scrup. 4 mollissime pariter trita commisces, tantundem etiam suillæ adipis adjunges, vinumque vetus desuper [a] sparges, panno inlinitum testibus: apponas, donec sanitas procuretur. Si tardius [b] dabitur sanitas, testes subter stillatis [c] cauteriis urito, vel leviter scarificato.

De tumore testium.

VIII. (Quod [d] si testes tumebunt,) hordeum comburito, pulveresque ex eo trito, suillæ adipi misceto, ex quo medicamento mane & vespere testes illinito. Physicum autem creditur, testes animalium ablutos canino felle sanari. Alii auctores aqua calida testes, cum dolent, fovendos esse duxerunt [e], suffumigandos etiam viridibus foliis cypressi, quæ arbor specialiter mederi testibus creditur. Sed si defuerit, testas [f] ardentes nihilominus in aqua calida mitti, & inde suffumigari, post cretas Cimolias cum stercore bubulino ex aceto acerrimo calentes [g] induci, & quotidie revocari, quousque sanitas subsequatur.

a) rursus asperges C. b) tardabitur C. c) stillatim cauteribus C. *quid si* stilatis *h. e. in stili formam factis?* Gesn.
d) *Inclusa restituit* Gesn. *ex* C. *Lemma extrusit initium capitis*. e) dix. C. f) *vel* tædas ardentes *vel* testas candentes Morg. IV, 29. g) calente C. *mox* renovari.

Si natura revocari non possit.

IX. Si natura jumento excedit[a], & revocari non possit, in aqua frigidissima constituendum est, & ibi fovendum, & sublitam manum in anum ejus injicies, & contra vesicam fricabis, post diligenter cooperies, ne perfrigescat. Potiones dabis, stercus suillum[b] quotidie ex vino, aut in aqua dulci, donec liberetur.

Si jumentum sanguinem minxerit.

X. Si jumentum sanguinem minxerit, vel adsellatum fuerit, hac ratione curabitur. De superiore vena sanguis auferatur, asphodeli[c] quoque herbæ radix teritur, & cum vini albi dulcis duabus coty-
2 lis per os infunditur; quæ glutinosa videatur. Prodest etiam farinam triticeam cum adipe suilla & pulvere corticis mali granati decoquere, & non crassas potiones, sed liquidas per os fundere: & non solum a cursibus, sed etiam ab ambulatione abstinendum est, ut glutinetur vena, quæ interrupta est. Contingit enim[d] cursu vel saltu, ut intrinsecæ[e] venæ rumpantur, quapropter rebus stypticis, & his, quæ consolidationem faciunt, cure-

a) exciderit ut C. b) ovillum *conj.* Morg. IV, 30.
c) aphodilli F. S. asphodillæ C. *cum* Gesn. Morg. IV, 31.
d) ex *ins.* C. e) intrinsecus vena rumpatur.

Digitized by Google

tur. Super renes hoc anacollima oportet imponi :
bulbos tascedeas vivas contusas, allia quinque, ana-
gallici libram, quæ omnia pariter bene trita com-
miscis, & renibus ejus imponis: quod prodest etiam
illis, quibus evulsi vel emoti sunt renes. His au- 3
tem, quibus per nares effluit sanguis, pusca[a] frigi-
dissima caput ejus fovebis, modicum salis adjicies :
post anacollima in capite, & in temporibus oblinis,
& in [b] medicamento constrictis venis fluxum sanguinis
reprimes.

De dysenteria.

XI. Si dysenteria jumentum apprehenderit, reversatur ejus extalis, qui ut curetur, circumsecandus est cautissime, ne intestinum, quod præpositum est extali, frangatur. Procidit intestinum a contactu: vitæ periculum facit, si tangatur ; quod semel non redit, & sic remanebit, & paululum exit extalis supra.

Si otiosum animal sanguinem mingat.

XII. Animalibus otiosis & pigris[c] contingit ex[d] pletura sanguinem mingere, cum hoc, quod abundat, erumpendi per urinam invenit viam: attenuati & exhausti animalis interdum est urina sanguinea.

a) *pro* posca. b) vehementer C. c) pinguibus S. M. C.
d) ex plethora Morg. IV, 32.

Digitized by Google

Quod accidit, aut ex nimio ascensu, aut labore
2 ponderis, aut nimietate cursus: sed illis, qui ex deliciis aut abundantia contraxerint passiones, de matrice auferunt sanguinem; attenuatis venas laxare contrarium[a]. Utrisque tamen salutaris est potio, si lac caprinum cum a matricibus obolis & vitio laris herbæ succo (pastillos facias, ex quibus unum)
3 per os frequenter infundas. Certissima quoque ad ipsorum salutem potio prædicatur, si draganti unciam semis, mespili scrup. storacis scrup. tres, nucleos pini, hos purgatos ducentos decem infundis in vino optimo, ac diutissime conteres[b], post ad magnitudinem nucis avellanæ cum apibus[c] attritos & vini[d] sextario resolutos dabis ad cornu, & faucibus digeres, per dies continuos septem, quod etiam omnibus[e] prodest, ad fabæ magnitudinem cum ovo[f] dedisse.

Si animal sanguinem evomat.

XIII. Si vero sanguinem[g] vomat, oportet genestæ succum, cum vino atque[h] porri succo lixivio oleoque permixta, faucibus infundere. Aliquando animalia sanguinem vomunt, quibus hac potione suc-

a) est *ins.* C. b) cont. *repos.* Gesn. *ex* C. c) *forte* superioribus, *vel* prioribus. d) optimi *ins.* C. e) humi C. *forte* homini. f) vino S. M. g) animal rejicit C. h) aut porri succum lixivo C.

curritur: Absinthium Ponticum & spicam nardi æquis ponderibus in cacabo novo cum aqua decoques & dabis in potu[a].

Si percussa vena claudi non possit.

XIV. Si sanguis interdum nimis per venam cum percussa fuerit, ut claudi non possit, erumpat, remedium est, stercus ipsius animalis superponere fluentibus venis: aut si perseveraverit, urere cauterio subtiliter, ne nervi lædantur. Floccum etiam competenti oleo tinctum venæ admoveto: etiam assem ligneum in vena, qua sanguis profluit, ponis & ligas, præsens est remedium.

De indignatione vesicæ.

XV. Vesicæ indignatio generatur ex plurimis causis: quæ[b] propter urinæ difficultatem celerrimum, immo præsens discrimen importat. De qua valetudine diligenter[c] tractari convenit, ut passioni competens medela succurrat; quæ his agnoscitur signis: mingere non poterit, omnia crura flectentur, dimittitur venter ad terram. Et si diffi- 2
culter mingit, dysuria appellatur. Sed quando guttas per veretrum mittit cum labore, stranguria dicitur: quum in totum non potest mingere, ischu-

a) potum C. b) quapropter F. S. c) diligentibus C. *forte* diligentius.

ria[a] appellatur, & vicinus est morti. Propter quod
extensiones & tubercula nascuntur in dorso, & præ-
3 focatio circa fauces ex dolore ventris. Cui hac ra-
tione succurris, de pectore[b] venas pungis, & san-
guinem, quantum videbitur, detrahis, & sic acci-
pitur laxamentum[c]. Præterea manum tepidam cum
oleo in anum mittis, & si qua stercora inveneris[d]
4 intus, quia impedimentum præstant, attrahis[e]. Post,
cum libra olei, salis triti plenum acetabulum mis-
ces, & calefactum injicies in anum, jumento in lo-
cis pronis posito, ut facilius ad interiora descendat,
dulcedo etiam sequitur ac solutio ventris, & dolor
5 mitigatur. Quæ remedia si tarde subvenerint, ma-
nus & brachia perungito, & cum magno sensu at-
que cautela in[f] anum injicito, in partem dextram,
& reversato in sinistram: vesicam[g] manu plena le-
viter premito, ut incipiat[h] urina procedere, & sic
6 liberabitur. Valde premere est contrarium. Ex his
autem causis passio ista descendit, si jumentum in
opere aut cursu magna parte diei cogatur, & uri-
næ faciendæ spatium denegetur, tunc a vesicæ mea-
tu usque ad veretrum nascitur tumor, & cum do-

a) dysuria *omn. cum* Gesn. *ratio, & ejus interpres* Morg. IV, 33. b) depectorabis, & sanguinem quantum sufficit detrahes E. c) lavamentum F. S. levam. *conj.* Morg. l. c. d) intus impedimento sunt C. e) abstrahes C. extrahis *conj.* Morg. l. c. f) *Sic* C. manus *Edd.* g) & sic manum plenam *Edd.* h) incipias in hac proc. *Edd.*

Digitized by Google

lore egestionis foramen angustatur; e diverso, si ju- 7
mentum exerceri solitum, diebus plurimis steterit,
indigestione nascuntur spurcitiæ, & humores effe-
runtur, usque ad vesicam, compunctiones etiam &
morsus urinali fistulæ præstant, ex quo stranguria
plerumque contingit. Ex perfrictionis indignatione 8
dysuria solet venire, cum nimio rigore meatus in-
tumuerit. Et ideo calefactionibus diversis a [a] frigore
solvenda est injuria celeriter. Interdum & [b] indige- 9
stione hordei & [c] cum aquam frigidam avidissime bi-
berint, dolores ventris animalia patiuntur, & pro-
pter vicinitatem commota vesica stranguriam susti-
nent. Aliquando & stercus pullinum, & alia no-
xia, in cibo sumta, cum inflationem fecerint, im-
pediunt minctionem. Bestiolæ [d] etiam, quæ appel- 10
lantur buprestes, araneæ similes, cum devoratæ fue-
rint, animal præfocant. Aqua quoque cœno vel
limo [e] turbida si bibatur, meatus impedit minctio-
nis. Vermes quoque vel lumbrici in intestinis cum 11
ex ulcere venerunt, vesicam lædunt, & dupliciter
animalibus discrimen important. Quod his deprehen-
ditur signis: Animal, quod tardius mingit, latera
sibi scalpit, vel terram mordet, scias eum [f] vermibus
vel lumbricis extorqueri. Cui hac ratione succurris: 12

a) frigoris solv. est cel. inj. C. b) ex C. c) vel C.
d) Bestiolus etiam, qui appellatur &c. C. e) luto S. M.
f) *pro* illud: *forte synesis est, ad* equum *relata voce*. Gesn.

brassicæ folia subtilissime contundis, & commiscis boni vini cotylas quatuor, & per sinistram narem infundis. Sulphur[a] etiam vivum in pulverem rediges, & cum oleo totum ventrem animalis & veretrum perfricabis. Absinthium etiam largiter cum vino decoques, & per sinistram narem defundes. Laser quoque Syriacum & nitri pulverem cum vino deco-
13 quis, & per os digeris. Inambulationibus & leni cursu exercebis in loco molli vel herbido: vel ad aquam leniter abeuntem ad urinam invitabis. Si ubi aliquod aliud animal minxerit, teneatur, facilius
14 provocatur. Quæ præmittuntur, ut veniatur ad curas, aqua enim calida diutissime lumbi fovebuntur & renes, tunc avenam agrestem ex vino dulcissimo duabus cotylis decoquis, & per sinistram narem infundis colatos humores: ficus præterea optimas decoques in aqua cotylis quatuor, mixtoque nitri
15 pulvere similiter defundes[b]. Allium[c] quoque cum vino decoctum, & per sinistram narem infusum producit urinas. Memineris statim, cum in passione ceciderit, hordeum eis subtrahendum penitus; & potus[d], herbas virides, vel farragines ad sustentan-
16 dum dandas. Sarmatarum autem equitatus[e] veteres

a) Sulphur — defundes *supplevit* Gesn. *ex* C. b) *præter* C. diffundes *alii*. c) Trifolium S. M. d) potum, herbam &c. ad substantiam dandam C. e) æquit. *omn. Forte ante* equitatus *inserenda eſt relativa* quorum: *ut sit integrum*, Sarmatarum usus invenit.

plurimum valuerunt, usus invenit, ut animalia a collo usque ad pedes involvantur de sagis, suppositisque carbonibus vivis addito castoreo suffumigentur, ut totum ventrem[a] testiculosque eorum castorei fumus evaporet, & confestim detractis carbonibus cooperti deambulant & mingunt. Alumen scissum[b] 17
& sales fricato, admixtoque oleo, & melle collyrium longum & tenue facito, & in veretri[c] ipsius foramine inserito, continuo provocabitur. In ano 18
panacis, quantum digiti minoris extremitas est[d], dabis. Alii cepas acerrimas[e] & leviter contusas tres aut quinque ponunt in anum, & sic deambulare faciunt. Ad urinas inventus est, qui affirmat[f], & 19
ungulam equi ipsius radi, & teri cum vini sextario & per nares infundi ad celerem[g] minctionem. Si non tali ratione prodesset, betas & malvas de- 20
coques, & aquam earum calentem, cum melle ad unum sextarium naribus infundes. Si tempus viri- 21
des denegat cibos, fœnum melicrato adspersum præbebis: vel succum ptisanæ hordeaceæ cum melicrato similiter dabis. Aliquanti rosmarinos decoquunt, & ex ea calida (testes) fovent. Alii cimi-

a) vitrum C. *forte* uterum. b) *h. e. scissile*, σχιϛή.
c) scapi ips. foramen C. d) cum vino decoques, per narem dextram *ins.* C. e) purgant *ins.* S. C. f) adfirmaret priores ungulas C. g) ad celeritatem minctionis physica ratione prodesse. Betas quoque &c. C. physicali ratione S. M.

ces tritos[a] in nares animalis mittunt, & alium super naturam, qua mingit, confricant, certissimum
22 dicitur. Porros decoques[b], & succum eorum exprimes ad sextarium 1, & cum vini veteris hemina olei acetabulum permisces, & per narem dextram dabis, deambulando[c] ducis. Vulgare & verum est remedium, lutum de via ex lotio cujuscunque equi factum, vinoque permixtum & colatum naribus in-
23 fundas. Apii radices[d] aut melicrato decoctas præbebis, pulveremque thuris, ovumque crudum, cum vino dulci permixta, (per os convenit dari oleo cum vino permixto) & calefacto supra renes & ilia inungens[e] confovebis. Ex melle quoque decocto & sale collyria[f] longa & tenuia foramini immittuntur, quo emanat urina. Musca[g] viva & loco ipsi immittitur, vel mica thuris apponitur, & de bitumine collo[h] inseritur, ut provocetur urina.

De fluxu ventris.

XVI. Quibus modis strictus venter solvi debet, sæpe prædictum est. Nunc exponendum est, quemadmodum, si solutus, postea[i] restringitur. Etenim hoc animalibus periculosum nimis est, nisi velox me-

a) ternos vivos in aures S. M. b) decoquens succum C.
c) deambulatum duces C. d) cum vino *ins.* C. S. M.
e) spongiis C. f) collyrium — inditur quo manat C.
g) etiam *ins.* C. h) *vid. leg.* collyrium *ex lectione C. modo proposita.* i) possit astringi C. S. M.

dicina subvenerit, cujus necessitatis[a] de experimento principale[b] remedium est: Balaustii seminis unciam ex vino austero[c] dabis, caryotas tundis & gallas Syriacas, & exinde datur potio salutaris. Talis 2
quoque subvenit compositio: Ceræ uncias 2[d], lardi libram unam, piperis unciam semis[e] piculæ[f] semiunciam diligentissime tundes, casiæ unciam semis, trita pariter consperges, offas facies, solito more[g] intinges in cera, cum remissa est. Sic quoque digeres stercoris ovis[h] libram, & in aceti & mulsæ sextario per cornu dabis: herba rubea[i] restringes[k], si dederis in vino: spongiam Afram[l] intinges in pi- 3
ce liquida, post combures, farinamque ejus vino austero defundes, farinæ triticeæ heminas quatuor commisces & digeres. Nitrum quoque, (si potest fieri) virgineum diligentissime tritum, & in pulverem redactum, cum hemina[m] aceti semiunciam dabis. Pulvis ex pumice datus cum vino in potu mox medetur.

a) *præter* C. necessitas *Edd.* b) principali tenendum est *Edd.* c) vel aceto per os defundere (diffundit S. M.) Hordeum combustum ex vino austero dabis *ins.* C. & S. M. d) sordis *ins.* S. C. e) smnc. *h. e.* semunciam C. f) lenticulæ *conj.* Morg. IV, 33. *sed sæpius occurrit picula.* g) minores C. S. M. h) ovilli denarios tres, aceti mulsi sext. per C. denarios tres *etiam* S. M. i) trita *ins.* S. & C.
k) restringit, si detur C. l) offam *Edd. male.* m) unciam unam cum aceti hemina medicabis S. M. *qui reliqua om.*

De verrucis.

XVII. Aliis[a] quoque partibus corporis nascuntur aliquando verrucæ, & vitium difformitatis import, hac ratione curandæ[b]: lino[c] subtili constringentur ipsæ verrucæ. Dein[d] causticum crudum imponitur, & sponte decidunt. Ferro etiam præciduntur, & de cauterio leviter adusta sanantur.

De vitiis coxarum.

XVIII. Interdum jumentis misera fit coxa, cui de venis femoris[e] sanguis emittitur, & in vase diligenter excipitur: admiscetur etiam pulvis sulphuris, nitri baccarum lauri; simul[f] tritis, & contra pilos diutissime perfricatur, & per triduum sic per-
2 manere[g] permittitur. Aqua etiam, in qua verbenæ coctæ sunt tepida ter in die fomentabis: pedes, quos sanos habet, glante ferreo, vel si defuerit, spartea calceabis, cui lemniscos[h] subjicies, & addita fasciola diligentissime colligabis, & suppositiciam facies parti illi, quæ misera est, ut planas ungulas
3 possit ponere. Synchrisma[i] etiam perunges in sole,

a) In folliculo, vel in ano aliisque part. C. S. M. b) sunt *ins.* C. c) filo S. M. d) Hinc *conj.* Morg. IV, 34.
e) femonum *forte* feminum C. f) & sepiæ tritæ S. M.
g) manere patietur C. h) rotulam ligneam C. i) Incrisma *Edd.* Gesn. *obsecutus est* Morgagno IV, 35.

& non minus, quam unam horam[a] contra pilum diligentissime confricabis. Si ejusmodi cura tardaverit, contra coxæ commissuram quatuor foraminibus cautere[b] pertunde, & pannos vel lemniscos ex aceto & oleo sub cute per foramina traice per triduum, post traumatico illinitos pannos, diebus novem per eadem foramina traicies, vel calida verbenacea utaris, & sic lemniscos subjicias. Undecimo quoque 4
die lemniscos educes & incretas locum, ut cutis ad pulpas adhæreat. Cum cicatrices se clauserint, causticum imponunt[c]. Hac ratione emota vel læsa[d] coxa sanabitur. Sed si coxam ejecerit emoveritque, quod a mulo medicis dicitur filius[e] læsisse, certior & facilior curatio inventa docetur, & probata.
Nam dudum claudum animal in sole ponunt[f], vino 5
& oleo calefacto calefaciunt ipsum, hoc est, juncturas coxæ diutissime confricant, donec sudet; tunc animal capistro trahunt, & sensim currunt, alius lorum vel funes tenens laxos sequitur, & subito, dum animal currit, recta ad se coxam ipse cum impetu trahit: si sonuerit, scias loco suo redisse, paululumque cessabis, post sensim deambulando tentabis. Si ad locum suum redierit, retra- 6
ctos pedes ponit, & minus claudicat, ulterius ani-

a) hora contra incisuras quatuor for. *Edd.* b) autem C. *forte inserenda hæc vox est, quam altera elisit similis*. Gesn. c) impones C. d) ejecta C. e) filum C. f) constituunt C.

mal non convexabis, sed triduum fomentabis calida verbenacea, post causticum induces. Quod si prima die junctura componi non potest, secunda die[a] simili ratione coxam sæpius trahis, donec revertatur
7 ad locum. Quidquid autem vexatum vel emotum fuerit, vel ictu rotæ, aut quocunque alio casu in prioribus vel posterioribus partibus[b], vel articulis, vel genibus, hoc anacollima constringit & consolidat. Bulbos rufos triginta, cochleas vivas triginta, anagallici libram 1[c], plantaginis viridis manum plenam diligentissime contundis & misces, additis tribus ovis, cum stupa imponis, & colligas, laxata constringet & tumefacta[d] sedabit.

De laccis gambarum.

XIX. Si jumento laccæ enatæ fuerint in gambis, his agnoscitur signis: Dextra ac sinistra ad similitudinem vesicæ inflabitur cutis. Curandum[e] est autem hac ratione, qua flegma in genibus diximus oportere curari. Est & alia medicina. Lentes, quæ supra aquam natant, colligis & contundis, additaque veteri axungia colligabis. Vitium exsiccare perhibetur. Si gamba vel armus aliquo loco ex ictu

a) vel tertia *ins.* C. b) vel cambos *ins.* C. *leg.* vel gambis. c) herbæ *ins.* C. d) humecta siccabit C. e) Curabuntur autem ratione, qua flagmina C. *forte* phlegmonen, *de qua* Veg. 2, 48, 1.

ictu aliquo tumere cœperit, cretam Cimoliam & rubricam[a] ex aceto acerrimo miscebis[b] & oblinis.

De gamboso.

XX. Si gambosum factum fuerit animal, & recens passio est, de tibia sanguinem emittito, lanam succidam circumligato. Cave ne ſomentis aut cauterio tangas, utrumque enim in tali curatione contrarium est. Malagma cruda uteris, tertio die semper solvis & curas. Cum videris animal profecisse, causticum inducis. Si quod jumentum coxam fregerit aut supragambam, scias non posse curari, quia partes istæ ligaturas tenere non possunt.

De his, quæ læduntur a rotis.

XXI. Si jumentum aut rotæ, aut axis ictu fuerit elisum, in recenti lanam succidam ex aceto & oleo colligabis per triduum, post ficus duplices, &[c] nitrum pariter tritum[d] imponito, die tertio solvito ac renovato. Si nihil profecerit malagma tetrapharmaci imponito per triduum. Si & ipsa tardaverit, imponito malagmam, quæ dicitur meliacinus, usque dum sanetur.

a) *Sic* C. *&* S. M. lubricam *alii*. b) macerabis C. S. M.
c) in nitro pariter tritas S. M. d) terito & imp. C.

De syrmatico, id est, quod coxam subito trahit.

XXII. Syrmaticum jumentum his agnoscitur[a] signis. Prodiens de equili, vel de loco, ubi steterit, coxam trahit & transversam ungulam inflexis coronis terræ superimponens ostendit, & Syrmaticum a tragœdorum palliis[b], quæ trahuntur, dicitur. Sed quamvis alienata horum vel emota coxa videatur, si super ipsum pedem cessim repellantur, continue emendabitur gressus, & sine claudicatione
2 rectus incedet. Et hac autem ratione contingit, si commissuram vertibuli, ex corruptione corporis, vel perfrictione natus humor intraverit, tunc se defundit ad nervos, & eos reddit immobiles, & velut
3 alienatos, quæ hac ratione curantur: Sanguis ei de subgamba detrahitur copiosus, in quo admisces sal, sulphur, marinas cochleas, mannam thuris, feclam[c], nitrum, baccas lauri, æquis ponderibus, contusa omnia atque cribrata, vino quoque veteri & oleo miscebis cum sanguine ipsius: qua[d] unctione præparata post inflationem[e] illinis: coxas calida, in qua verbenæ decoctæ sunt, interposito triduo diutissime
4 confovebis, post unctionem renovabis: si ex hoc plenam non receperit sanitatem, vulnus uris cau-

a) ostenditur C. b) pileis S. M. c) betam S. M. feglam C. *Quid si* fæculam, *de qua* Veg. 2, 26, 3. d) quæ S. *unde licet suspicari*, quæ unctioni &c. e) Gesnerus *credit legendum* insolationem.

terio in ipso vertibulo. Similiter[a] sciaticis fieri consuevit. Quæcumque aut de ozœnis cæterisque vitiis articulorum, vel de ungulis primorum pedum nunc dicta sunt[b], scias etiam in posterioribus debere servari.

De morbo alienato.

XXIII. Alienatum morbum auctores vocaverunt, quoties hæc signa procedunt[c]. Patentes oculos animal habet, nec sentit hominis adventum, quibus & labra & ipsa orificia intumescunt, quasi ab aliqua bestiola contacta. Quem morbum alii auctores 2
orabum[d] nuncupaverunt. Est autem nequissima passio: primo, quod pestifero transitu contagionem spargit in plurimos: deinde, quod imperitos decipit specie sanitatis. Nam refecta[e] & bene curata animalia ex hac passione subito inflata[f] moriuntur. Alienatus autem vocatur, quod eripit animalibus sensum, Malleus, quod pestilentia internecivum[g] contagium facit. Ple- 3
rumque autem viscera interius[h] vermibus consumit. Quorum morsu pertuso aqualiculo animalia suffocata, subito moriuntur, sed si velocior medicina succurrat, hac ratione salvantur: de cervice sanguinem

a) ut in sciatico C. b) eadem *ins.* C. c) præcedunt C.
d) arabum C. aridum S. M. e) referta S. M. f) *pro* adflata: *& forte ita leg.* g) internocivum F. S. internecinum *conj.* Morg. IV, 36. h) interna C.

Digitized by Google

4 detrahis, potionem componis hujusmodi[a]: Gallici lib. unam, hyssopi libram 1, abrotani[b] libram[c] semis, aristologiæ rotundæ lib. semis, mannæ succari uncias 3, trixaginis uncias 3: quæ omnia contundito & cernito, ex aqua mulsa copiose decoques, &
5 animal ægrotum diebus plurimis potionabis: sed quia plerumque hujus ægritudinis pestilentia transit in proximos, totum gregem si inciderit, ut singulas heminas singulis degeras, potionare te convenit, frequentissimis[d] etiam suffumigationibus, stagnare pariter & curare, sicut in malleo superius constat expositum. Quibus usque adeo mutanda sunt pascua, ut si fieri potest in alias transmittenda sint regiones. Nam qua transeunt in lanis[e] & in ipso anhelitu inficiunt universa. Velocius autem curabuntur, si separata fuerint atque translata.

De roborosis.

XXIV. Roborosa passio dicitur, quæ animal rigidum facit ad similitudinem ligni: cujus hæc sunt signa. Totum corpus adstrictum, extensæ sunt nares, & aures rigidæ[f], immobilis cervix, os constrictum, caput extensum, colligati armi vel crura, pedes etiam constricti, ut nulla commissura flectatur: cu-

a) Anagallici S. M. sal Gallicum Morg. IV, 36. b) croci unc. iii, absinthii & strignii (*forte* strychni) uncias iiii, quæ omnia S. M. c) silib. C. *forte* selib. d) frequentissime C. e) labore F. & S. M. f) *Sic* C. & S. M. frigidæ *al.*

jus caput si erigere volueris[a], non poteris: oculi
præcluduntur, spina prærigida, & ideo distendit[b]
& erigit caudam, ut eam flectere atque movere
non possit, dura ilia, adstricti sunt renes: cubare
penitus non potest. Contingit autem hæc passio ex 2
nimia perfrictione, vel spasmo nervorum, vel tre-
more, unde &[c] tetanici dicti sunt. Plerumque in
hanc valetudinem incidunt, qui cum ab igne castra-
ti[d] fuerint, negliguntur, & inambulantes frigore læ-
duntur. Quorum nervi recenti dolore & frigore 3
compellente[e] & spasmum patiuntur, & obdurescunt
in robur. E diverso etiam altius, quam expedit,
in pedibus usta jumenta, vel quocunque alio loco,
contactis[f] nervis patiuntur spasmum & robur incur-
runt. Ex nimia quoque pruina, vel si in nimio fri- 4
gore sudabunt, vel e calidis stabulis producuntur
in frigus, fieri adsolent roborosi. Sed si a poste-
riore parte fuerint comprehensi, ut morbus desinat[g]
in lumbos, opisthotonici fiunt, calefactionibus tamen
unguentisque curantur. Si quos[h] vero robur a prio- 5
re parte comprehenderit, ita ut os aperire non
possint, desperanda[i] sunt, quia constrictis dentibus
fame perire coguntur. Quæ autem ex toto corpo- 6

a) ter in girum *ins.* S. M. b) *Sic* S. M. & C. difficile *alii.*
c) contetanici *Edd.* d) castigati C. *forte* cauteriati. e) *præter* C. compelluntur *al.* f) contractis C. g) desidat C.
h) quod *Edd.* i) *pro* desperandi *synesis.*

re æqualiter periclitantur, ita ut ex aliqua parte os[a] valeant aperire, tam diu unctionibus calidissimis perfricanda sunt, donec sudent, coopertaque sagis copiosissime, loco calido statuuntur, ignisque juxta ea fieri consuevit sine fumo, ut amplius sudent.
7 Surculos quoque laureos validiores in os eorum inter malas mittito, ut rodendo eos exagitent maxillas & calefiant. Fabas quoque solidas, cum baccis lauri mixtas, jejuno dabis. Aquam quoque calidam offeres ad potandum. Ventrem ipsis cum mulsa calida, admixto castoreo, clystere purgabis: oleum quoque optimum cum succo ptisanæ mixtum per narem sinistram defundis, hordeum emolitum cum furfuribus admixtum dabis ad substantiam, donec
8 sanetur. Aliquanti dixerunt oportere eos aere candenti, in arena fluviali vel maritima colligatos obrui, ita, ut caput eorum exstet & nares, & tam diu detineri, donec sudent. Sed ex supra scripta
9 cura sæpe plures constat esse sanatos. Quod si ex hac re non profecerint, ures eis[b] cervicem, dextera sinistraque decussatim, saccellationem ex furfuribus supra totum tergum calidum imponis per triduum: & hac unctione quotidie uteris in sole, si
10 caluerit, vel in calidissimo loco. Ceræ libram, afroniti libram, resinæ terebintinæ[c] selibram, galbani

a) non *ins.* b) *præter* C. ejus *al.* c) terbentinæ *Edd.*

libram, castorei selibram, opopanacis libram[a], piperis unciam, medullæ cervinæ uncias duas, olei veteris uncias[b] duas & semis, vini veteris optimi,
quantum opus fuerit, admisces & uteris. Præsens 11
tamen experimento[c] remedium est, si picem liquidam cum oleo & vino veteri decoquis, calentique medicamine jumentum perungis. Ex qua unctione & auriculas cum oleo tepefacto oportet infundi,
ut sanitas matura proveniat. Sed ut venæ eorum 12
calefiant intrinsecus, & conceptum frigus exsudet, necessaria potio est, quæ roborosos tetanicos, & opisthotonicos salubriter curat, clabi[d] seminis uncias 2, cimini Alexandrini uncias duas, agallici[e], castorei, abrotani uncias singulas, trixaginis uncias duas, mannæ croci unciam unam, succari unciam, hys-
sopi unciam unam, piperis albi semiunciam, quæ 13
omnia diligenter tunsa atque cribrata redigantur in pulverem, ex quo bina cochlearia lassis & periculose se habentibus cum succo ptisanæ tepidæ propinantur: fortioribus vero cum vini veteris calida hemina defunduntur in os, nunquam tamen sine oleo, propter leniendam potionis austeritatem, &
canalem faucium mitigandum. Alii auctores ejusmodi 14
passionem hac dicunt ratione curandam. De tem-

a) selibram C. b) quod sufficit C. S. M. c) experimentum atque C. d) dauci F. & S. M. e) *utrum* anagallici, *an* agarici?

poribus sanguinem detrahes, excipiesque diligenter, injecto nitri pulvere, sale atque castoreo, animalia perfricari, & loco calido statui oportere[a], atque hanc offerri potionem: Lac caprinum, rutam, baccas lauri, piper album, oleum, & fabas solutas: hordeumque etiam datur, ut agitet edendo maxillas: die tertio de cauda sanguinem tollunt, & re-
15 nes calidis unctionibus fovent. Interdum etiam in balnea intromittunt animalia, ut diligentius convalescant[b]: dant etiam quotidie potiones: fustes quoque vel de salice, vel de robore in os mittunt, ne maxillarum usus indormiat. Si melius habere cœperit, post duodecim dies coopertum exercebis, ut
16 sudet. Si ista non valuerint, uteris superius declaratis. Plerique asseverant, ficulneas frondes roborosis oportere præberi, quæ naturaliter calent. Potionem quoque per os dandam: opopanacis uncias 2, storacis uncias 3, gentianæ uncias 3, mannæ succari uncias 3, myrrhæ scrupulum 1, piperis longi scrupulos 2, cum vino veteri tepido, atque ad
17 cornu digerere. Hac etiam unctione ad curandum robur vel expellendum frigus utuntur: Ceræ libram, resinæ terbentinæ[c] uncias 8, opopanacis uncias duas, medullæ cervinæ uncias duas, storacis uncias quatuor, baccarum lauri selibram, olei pini[d],

a) *forte* oportet? b) *quid si* concalescant? c) *pro* terebint.
d) hirini S. M. irini *legendum*.

prout opus fuerit: quæ omnia in unum adjecta in aqua decoquunt, & perfricantes inungunt.

De hydropicis.

XXV. Hydrops non levius animalia, quam homines frequenter infestat. Vitalibus [a] namque vitiatis, cum digestio ciborum plena non provenit, humor noxius perniciem corporis, tumoremque consuevit inferre. Quam valetudinem hæc signa demon- 2
strant: Turget venter, & crura, testiculi, scapulæ, latera [b] & tergus inflantur, usque eo, ut nec in capite ejus appareant venæ. Cui cum sub linguam tetigeris subtussiet. Hunc ambulationibus bre- 3
vibus opertum gravioribus sagis, donec sudet, exercebis in sole, & adversum pilos, per totum corpus postmodum confricabis, cibum daturus, radices cum foliis suis, quia & purgationem faciunt & vitio medentur: fœnumque conspersum aqua nitroque præbebis, die ac nocte maceratos lupinos in aqua, rursumque siccatos, præbebis in cibo. Radicem quoque cucumeris silvatici vel folia, quæ ventrem moveant, eidem dabis, ut purges. Quæ curatio si tar- 4
daverit [c] sanitatem, evocandus est humor. Quatuor itaque digitis ab umbilico ad veretrum versus sagitta pungis, ut peritonæum ipsum rumpas, sed ca-

a) *præter* S. M. In talibus namque vitiis *alii*. b) cum pedibus lumbi S. M. c) morabitur C.

ve, ne intestinum tangas, & animalia perimas[a], subjicis fistulam centimalem, & patieris humorem currere, quantum æstimaveris necessarium, quem in vase excipies. Cum fistulam abstuleris, duo vel tria grana salis in plagam inseris, ne claudatur. Insuper[b] & pastillos imponis. Alia vel tertia die epaphæresin quasi factūrus, denuo fistulam appones, humorem ejicies, donec partes totas exsiccet: tunc vulnus curandum[c] solenniter, potionesque catharticas per os dabis frequenter. Interdiu, usque dum[d] sudet, exercebis. Quanto fortius esse cœpit, tanto diligentius est curandum, & semper abstinendum a potu, ut tepidum & modicum ad sustentationem bibat tantum.

De sarcosi.

XXVI. Sarcosis quoque talis est passio: Jumentum cum biberit, inflatur & sufflat: hac eum[e] ratione curabis: Cineris vel lixivii sextarium unum, seminis plantaginis uncias 5, conteres & cum vino dabis & oleo celeriter, usque quo resideat inflatio. Alii auctores asserunt, ab umbilico duobus digitis contra pectus plagam fieri debere, & fistulam poni, & educi humorem vel aquam noxiam usque ad

a) animal perimatur C. b) & super implastellum *an diminut. ex* emplastro, *quod* implastrum *sæpe libri Vegetiani*; & *sane* emplastrum S. M. c) curabis C. d) ad sudorem C. e) id C. *forte* eam.

sextarios tres, vel amplius, si major est tumor.
Sed cautius est, per partes sæpe tollere, ne re- 2
pentina exsiccatio periculum faciat. Potionibus utendum esse dicunt, quæ urinas moveant, frequenter etiam confricandum esse, ut sudet, pro fœno gramen accipiet & pro hordeo cicer infusum[a]. Prodesse etiam dicunt, si inter pigmentarios frequentissime deambulet animal: quia diversi odores latentes
pulmonibus prosunt. Potionem etiam hujusmodi dant: 3
Petroselinum & mala granata contendunt, & cum vino veteri per os digerunt. Apium quoque, quantum appetere[b] voluerit, offeres ad edendum. Asparagi silvestris radicis uncias 2, cum vini veteris sextario decoquis[c], ut ad tertiam redeat, & ad heminam per os digeres.

De tympaniticis.

XXVII. Tympaniticus[d] quoque hydropico[e] similis est, sed aliis agnoscitur signis. Venter quidem ejus crescit ut hydropici, & cervix fit rigidior; sed
nec testiculi, nec crura intumescunt. Convenit ita- 2
que tympanitico calidum cinerem cum liquamine optimo in panno, vel linteolo umbilico vel ventri supponere[f], & fasciis colligare, sed a pluribus ani-

a) ciceres infundi *Edd.* b) apponere volueris F. c) decoquunt ad tertias, ut redeat ad heminam, & per os degerunt C. d) Tympanitis S. M. e) hydropi S. M.
f) superponere C.

mal tenendum est, ne luctando moveat ligaturas.
3 Radicem panacis, sil Gallicum pariter conteres, & cum oleo vinoque tepefacto per cornu faucibus digeres[a]. Præterea thymum silvestrem & etargium[b] in vino decoques, & singulas heminas per triduum
4 dabis. Tympaniticum[c] hæc signa demonstrant: ciborum bibendique fastidium, exiguus somnus aut nullus: si per nares mucos cœperint emittere, desperandum est: si mundas nares habuerint, hac ratione curabis: Cremorem ptisanæ & defruti binos
5 cyathos per triduum dabis tepidos. Præterea hyssopi uncias quatuor, allii viridis manum plenam, palmas numero viginti, fœnigræci cyathos sex, aquam cisterninam & vinum odoratum vetus, pariter misces, diligentissime decoques, & in potionem per triduum dabis.

De lienosis.

XXVIII. Lienosi[d] ut manifestum est periculum, ita manifesta sunt signa. Nam oculi invertuntur[e] & suffusi sunt sanguine, tardius ambulant, collum
2 habent extensum & fit deterius & rigidius. Quæ passio principium indicat roborosi, quorum latera intumescunt, sive cervicis media spina ad similitudinem alvei fit concava, adstringuntur aliquando ma-

a) infundis C. b) argium C. *forte* nigrum. c) etiam *ins.* C.
d) Lejenosi *omn.* e) dejiciuntur S. M.

Digitized by Google

xillæ, quod vitium consuevit inferri ex nimia per-
frictione, cum animalis dorsum aut frigore, aut
pluvia, aut grandine cæditur, aut nivibus[a]. Cujus
ista curatio est. De cauda parum sanguinis demis. 3
Nam si amplius tuleris, infrigescet & rigori addi-
tur rigor, admisces in eum merum & oleum, &
calefacies, & statim hac dorsum & cervicem per-
unges, saccellum quoque ex furfure calidum impo-
nes, ut totam spinam tenere possit & lumbos: al- 4
tera die extergebis diligenter, & unctione eadem
perfricabis, supra quam similiter cum furfure calen-
tem saccellum imponis, hoc usurus unguento: Me-
dullæ cervinæ libram unam, mannæ thuris uncias
quatuor, depli[b] uncias tres, castorei uncias tres,
opopanacis uncias tres, resinæ frixæ uncias tres,
apocymæ[c] uncias tres, resinæ terebintinæ uncias
duas, ceræ libram semis[d], olei laurini uncias octo,
olei[e] cyprini libram, olei glaucini[f] sextarium unum.
Ex his sicca quæ fuerint tundis & cribras, cæte- 5
ra super carbones solvis, quibus cretam admisces &
leviter decoquis in vase novo, uncturus cum neces-
sitas postulaverit, reponis ac servas. Hac quoque 6
potione intrinsecus curabis: Absinthii unciam unam,

a) nubibus *Edd. male*. b) dipli C. bdellii *conj. vere*, *opinor* Morg. IV, 38 *ex* Veg. 4, 15, 1. c) *sic* C. *pro* apochymatis. d) unam C. e) sepi caprini S. F. f) gleucini *legendum putat* Gesn.

aristolochiæ uncias tres, betonicæ uncias duas, petroselini unciam unam & semis, trixaginis unciam unam, thuris masculi uncias tres, castorei uncias duas, mannæ succari uncias duas, contundis pariter & cernis & ex aqua mulsa & oleo diffunde per fau-
7 ces, absque dubitatione curabis. Alii auctores asserunt, sanguinem de brachiolis auferendum[a], & animal abstinendum ab hordeo, allium[b], nitrum, marrubium, (sanguinem de brachiolis) æquis ponderibus tritum cum absinthio Pontico & vino austero per os dandum: & cum biberit, deambulet, & spongiis calidis foveatur, & pressa manu diutius[c] perfricetur. Si ventris permanserit tumor,
8 pectus cauteriis inurendum est. Post quinque dies ternos digitos subjicis hac atque illac inurendum est iterum; observabis autem, ne venas forte comburas.

De implectico.

XXIX. Implecticus autem quia similem sustinet passionem, perfricandus est unctione superius memorata[d], & si necessitas postulaverit, inurendus.

a) detrahendum C. b) *præter* C. oleum *alii*, *male*.
c) diutissime C. d) nominata C.

De phragmatico.

XXX. Si phragmaticum erit jumentum, his agnoscitur signis: Febricitabit, oculos introrsum[a] reducet, aures tensas habebit & rigidas, terram pedibus tundet: quod hac ratione curabis: Sanguinem detrahas de matrice, adjunctoque oleo & vino tepefacies, totumque jumentum contra pilos diligentissime confricabis, loco tepido statues, & curasti.

De eo, qui aquam timet.

XXXI. Aliquando jumenta aquas timent, quæ dicuntur hydrophoba. Signa hujus hæc sunt: Venas omnes habebit extensas, sudabit suffusis oculis, tremorem[b] frendoremque patietur, illidet se parietibus: ex qua passione converti consuevit in rabiem. Cui hac ratione succurris: Sanguinem ei de femoribus[c] detrahes, a cibariis abstinebis, in loco sic clauso, ut lumen videre non possit, constitues, magno silentio aquam in situla[d] vel alveo ita apponis, ut non audiat sonitum, manipulum rutæ deterito, & baccas lauri XV, olei rosati[e] libram, aceti

a) introversus C. b) uredinem frigoremque C. frigoremque *etiam* S. M. c) inferioribus C. d) fistula S. M.
e) rosei sel.

unciam unam commisceto, caput & nares[a] diligentissime perunges, & sanabitur.

De spasmo.

XXXII. Spasmum certum est animalia sustinere, quæ necessitas his declaratur indiciis: Subito concident, & articuli eorum extensi sunt, & toto corpore palpitant, aliquando etiam de ore spumam emittunt. Quibus escam dabis pusca[b] nitroque conspersam, cucumeris quoque silvatici pulverem, & nitrum tritum per septem dies in potione dabis, ut
2 purget. Sanguinis quoque marinæ[c] testudinis dimidiam cotylam, aceti tantundem[d], laseris aliquantulum pariter misces, & suffundis in nares. Utile dicitur, terga eorum oleo, & aceto, & nitro frequentissime confricari.

De epilepsia.

XXXIII. Quadam ratione lunari[e] animalia, sicut homines, frequenter corruunt, & intermoriuntur. Quorum ista sunt signa: Jacentia contremiscunt, salivæ per os defluunt, desperata pro morituris repente consurgunt, & pabula appetunt. Cartilaginem[f] naribus eorum digito tentabis, quanto frigidiorem

a) aures C. b) *pro* posca *omn.* c) maximæ S. M. d) tantundem vini *ins.* S. & C. e) lunatica C. f) *forte ins.* in: *vel cum* C. *leg.* narium.

rem inveneris, tanto plus[a] casurum scias. Si minus 2
frigida fuerit, rarius cadet[b]. Cujus ista curatio est:
De cervice ejus copiosum sanguinem tolles[c], post
quintum diem de temporibus, loco calido tenebro-
soque constitues, totum corpus thermanticis con-
fricabis unguentis, cerebrum quoque ejus & auri-
culas pice liquida cum oleo laurino admixto largius
perunges, & mittes intrinsecus, caput etiam acu-
ta[d] vel cerebellari communies, potionem autem ca-
tharticam dabis ejusmodi: Sileris radicis uncias du- 3
as, panacis radicis unciam unam, diagridii unciam
unam, cum cucumeris silvestris uncia, quæ omnia
bene trita commisces, cum mellis sextario uno de-
coques, ex quo cochleare plenum in aquæ calidæ
sextarium, & olei drachmas tres mittis & per os
defundis. Caput quoque ejus sæpius curabis. Radi- 4
cem Dianariam, id est herbæ Artemisiæ, in pul-
verem rediges, & per fistulam naribus insufflabis.
Radicem quoque laseris tunsam si naribus defude-
ris, eadem ratione proderit. Si autem passio per-
duraverit, caput ejus ures, ut apioso fieri consuevit.

De eo, qui aquam revomit.

XXXIV. Animalia sæpe aquam revoment, quam biberant: quæ passio e nimia perfrictione[e] descen-

a) periculo propinquius est S. M. b) si calida fuerit, non cadet *ins.* C. c) detrahes C. d) aluta & F. S.
e) præfocatione S. M.

dit, cum stomachus paralysin ex frigore sustinet. Sed hac ratione curantur: Sanguis de cervice detrahitur, potiones thermanticæ propinantur, unctionibus calidissimis armi pectusque confricantur, purgatur per nares caput, & si necessitas postulaverit, etiam sinapizantur.

De sideratitio.

XXXV. Sideratitia jumenta dicuntur, cum venas vacuas percusserit frigus, aut æstus, aut impleverit cruditas, aut jejunia bulimum fecerint. Redditur enim stupidum animal, & titubans ambulat. Quod mollibus cibariis, lenibusque[a] potionibus curari oportebit ita: Laseris unciam unam, & heminam mulsæ succumque ptisanæ miscebis. Et si ex frigore causa est, cum vino & oleo tepido dabis. Si ex æstu, cum rosato præbebis. Si ex cruditate, abstinebis a cibo. Si de bulimo, ciceres offeres largiores.

De percusso a sole.

XXXVI. Sol quoque canicularis ardentior[b], animalia percutit in cerebro, quibus de temporibus sanguis emittitur, & simili ratione curantur. His

a) lenissimisque C. b) ardentium animalium percutit cerebrum C.

autem oſtenditur ſignis, quia dejectum caput portare coguntur.

De cruditate.

XXXVII. Cruditas jumentis generat ægritudinem, quæ hac ratione dignoscitur: Modo in unam partem, modo in aliam [a] ambulantes inclinant. Quorum iſta eſt medicina: Sanguis ejs de cervice detrahitur, a potu & cibariis abſtinentur. Si æſtas eſt, refrigeratorias accipiat [b] potiones, non parum [c] natura compellitur [d].

De bulimo.

XXXVIII. Bulimum animalia ſuſtinent frequenter ex fame, frequenter [e] ex laſſitudine. Cujus iſta ſunt ſigna: Oculi interius fugiunt, incertus eſt viſus, corpus tremit. Qui hac ratione curandus eſt, ut primo omnium defricetur ex vino oleoque tepefacto, tunc [f] panis mundi mollem partem vino infundes, (& [g] cum eodem confricabis.) Si cylon [h] feceris, per cornu digeres, & reparabitur. Quod ſi permanſerit bulimus, similæ heminas cum ſextario

a) alteram ambulant & inclinant ſe. Equorum C. b) accipient C. c) etiam *inf*. C. d) compellente F. & S. M.
e) aliquando C. f) micam panis pulveriſatam vino inf. S. M.
g) *Hæc aliena videntur & om*. S. M. h) ſi ilion fecerit F. & S. *plane quidem* ἀπροσδιονύσως, *arbitratur* Geſnerus. Sic liquidum faucibus infundis & curabitur S. M.

vini infundes, & per cornu digeres. Quod si [a] iter agens inciderit bulimum, ubi necessaria desunt, terram faucibus infundes, aut offas facies, & per os degeres.

De anhelitu.

XXXIX. Quod si ex anhelitu inflationes contigerint, cujus causæ rationes reddi non possunt, puscam calidam cum spongia cerebro ejus apponis, & pectori in aures ejus oleum laurinum mittes, frigidissimo loco eum constitues, nares quoque titillabis, ut frequentius sternutet: quo facto, statim exhilaratur [b].

De æstu.

XL. Si æstuaverit animal & defectionem patietur, brassicæ folia cum apio contundes, & cum vini sextario permiscebis & per narem sinistram infundis. Si vero fortius æstuaverit, petroselini, daucii, silis Gallici, abrotani, spicæ nardi, schinuanthus [c] æquis ponderibus tunduntur, & cum aqua mul-
2 sa data, æstum relevant. Quod si his ita membra defecerint, ut concidant, quibusdam placet abstineri eos a potu, & sitientes in aqua frigida una ho-

a) Quod si iter agenti inciderit, *vel* si iter egerit & inciderit bulimus *conj.* Morg. IV, 39. b) curabitur S. M. c) sinoantis F. S.

ra stare, & continuo reparari. Alii dixerunt hordeaceam farinam cum vino per cornu faucibus infundi. Plerique experti sunt, triticeam farinam cum aqua frigida datam continuo profuisse. Vel certe tria ova cruda cum pulegio & pusca[a], oleoque permixto, faucibus infundunt.

De paralytico.

XLI. Paralysin ad similitudinem hominum jumenta patiuntur, quæ his ostenditur signis: Ambulabit pravus[b] in latere ad similitudinem cancri, cervicem incurvabit, ut solent habere, quibus fractæ sunt, rectos pedes mittere non potest: si coegeris, parietibus se illidunt, cibum & potum non recusant. Hordeum autem ipsius udum[c] semper apparet. Hac ratione[d] curabitur: Sanguis ei de temporibus parte contraria, non qua contractus est, tollitur: unctionibus thermanticis perfricatur, cervicesque ejus constringuntur usque eo, ut cratellis ex ligno appositis constricta[e] cervice pravitas dirigatur. Loco autem calido stabulatur sicut roborosus: cui ipsæ[f] potiones dantur. Si parum in totum ista medela- 2
rum adjumenta profecerint, cervices eorum uruntur, non qua contractus est, sed ex parte contra-

a) *pro* posca. b) pronus F. & S. c) solidum S. M.
d) observatione C. e) contracta cervicis pravitas corrigatur C. S. M. f) eædem S. M.

ria de cautere accipit[a] palmas ab armo usque ad
cervicem[b] auriculæ, & in tempore uritur ad men-
suram semiſſis. In alia autem parte temporis qua-
si ſtellam parvam cauterio facies, & in parte re-
7 num usque ad mediam spinam virgulas dabis so-
lemniter, & curasti.

De intrinsecus rupto.

XLII. Jumenta nimio saltu, vel cursu aut rui-
na, cum aliquid[c] ruperint, vulsant: quorum ista
sunt signa: Stranguriam patientur, exscreabunt
etiam purulentum, & quoties volutata fuerint, non
revolvuntur; nec se excutiunt. Si recens ruptura
fuerit, sanguinem magis exscreabit quam pus. Quæ
curantur glutinosis & lenibus[d] cibis. Talem etiam
2 accipiunt frequentissime potionem. Thuris masculi
unciam unam, opii unciam unam, heliotropii un-
ciam, quod intybum agrestem vocamus, rutæ un-
ciam unam, quæ omnia diligenter trita cum vino
austero[e] quatuor mensuras adjicies, & per dies sin-
gulos dabis ad cornu, donec quæ intus rupta sunt,
glutinentur.

a) pulpam C. *quin* palmulæ *vocantur* Veg. 1, 28, 4 *ut* lineæ. *Cognata, credo, est* vestis palmata. b) verticem C. *sed* cervix auriculæ *videtur, ubi ea adnata est capiti.*
c) intrinsecus C. d) levibus F. e) austeri C. *quod non contempserit* Gesn.

De insania.

XLIII. Sed animal nonnunquam invadit insania,
ut præsepium frangat, seseque morsu laceret, im-
petus etiam in homines faciat [a], auribus micat,
oculis erit attentis & splendidis, & ex ore egerit
spumam, quem caute, ne medentem lædat, dili-
genterque constringito. Sanguinem ei de cervice &
de cruribus trahito, rursumque in tenebris contine-
to, donec appetat cibum. Cum cœperit ad patien- 2
tiam revocari, succum cicutæ uno acetabulo, &
aquæ unam heminam admisces, & per os defundis.
Post rutam conterito, & supra cerebrum ponito,
caputque lanata pelle constringito & curato, &
cum profecerit, calide stabuletur. Talis quoque po-
tio equis subvenit rabiosis. Baccas lauri novem, &
allii purgati grana viginti & unum, diligenter con-
teres, & cum vino veteri candido per narem si-
nistram injicies.

De pletura ex hordeo.

XLIV. Si animalia, dum sudant, hordeum comederint, vel ipsum hordeum novum fuerit, quia vehementius calet [b], vel copiosius, quam oportet, otiosa pascuntur, absque dubio indigestio & pletu-

a) facit ut fera C. (ut fera) *etiam ins.* S. b) *forte* calent.

ra[a] comitabitur. Quæ passio his agnoscitur signis: Sudabit, ligati erunt armi, ambulabit incertum. Sanguinem[b] ei de cervice detrahes, aceto oleoque permixtis totum corpus diligentissime confricabis, levibus ambulationibus exercendum est, & ab hor-
2 deo penitus abstinendum. Cui ejusmodi subvenit potio: Brassicæ folia contundis, succumque exprimis, & myrrhæ pulverem, & parum liquaminis, & vinum vetus optimum misces, quod per triduum per os defundes, ita digestio & sanitas consequetur. Aliquanti præcantatione[c] tentant afferre remedia, quæ vanitas ab aniculis solis diligenda est, cum animalia sicut homines non inanibus verbis, sed certa medendi arte curentur.

De passione pulmonis.

XLV. Pulmones[d] ut integri præstant substantiam[e] vitæ, ita vitiati periculum afferunt mortis, quorum dolor manifestis declaratur indiciis: Stertet, tussiet graviter, & exscreabit purulentum. Si ægritudo longior ſuerit, de prioribus[f] claudicat pedibus, gravem fœtorem naribus expellit, difficile se collocat, sed febriens præsepio incumbit: cor-
2 ruptum assellabit. Aliquando in corpore ipsius si-

a) *pro* plethora. b) Sanguis — detrahatur C. c) *forte* præcantationum — remedia. d) Pulmone *omn.* e) suffragia S. M. f) posterioribus S. M.

milia furunculis tubercula nascuntur. Quorum ægritudo difficilis est, sed hac potione[a] curanda: Thuris masculi uncias tres[b], hyssopi uncias duas, folii unciam unam, mannæ croci unciam unam, myrrhæ uncias duas diligenter tundis & cribras, ex quo pulvere unum cochlear cum tribus ovis & aqua temperabis, & diffundis per os. Si cibum non appetit, pro aqua lac caprinum miscebis, & addito mellis
cochleario propinabis. Succum quoque ptisanæ cum 3
oleo rosaceo, & pulverem superius comprehensum cum ovis per os dabis ad cornu. Offas quoque ex duobus sextariis farinæ triticeæ, & uno sextario ervi pollinis facies, quibus admiscebis ex supra scripto pulvere quinque cochlearia[c]. Sed septenas offulas diebus singulis digeras, quas quotidie ad
substantiam dabis, donec cibos tentet appetere. Cui 4
omnem escam propter fastidium viridem oportet offerri, & contrario lenticulam cum tritico vel hordeo torrefacto, cum palea dabis, ut quidquid ex diversitate ciborum voluerit, eligat. Lac tamen recens cotidie ei convenit dare. Deambulet primum, ubi cœperit convalescere ad exercitium revocandum est. Lac si defuerit, aquam, in qua ervum prius
lotum die ac nocte permanserit, dabis in potu. In 5
causa pulmonum de cervice vel de palato his san-

a) ratione C. b) duas S. M. unc. 1. C. c) Ex lacte etiam cujuscunque pecoris eam consperges: salutare est, si sept. C.

Digitized by Google

guis aufertur, quibus nec fastidium evenit, sed fortiora sunt corpora. Cineres quoque ulmi loti & infusi aqua cum vino veteri optimo odorato heminas singulas misces & dabis. Quod si vehementius vexatum ægritudine, transivit in morbum: Radicis lentisci drachmam, thuris uncias duas, myrrhæ drachmam, succari semiunciam, contere diligenter,
6 & cum vino suffunde. Sunt & ista remedia: Uva alba in os equi frequenter exprimatur, semen radicis datur in vino, amygdalæ frixæ cum aqua offeruntur. Sed est alia efficacior potio: Cardamomi[a] uncias duas, cassiæ[b] unciam, storacis unciam unam, quæ omnia[c], si validior, & sine febre erit, cum vino; si febriens, cum succo ptisanæ per os dabis.

De ejeronica, vel orthotonico, vel ortholistophico.

XLVI. Orthopnoicum jumentum his agnoscitur signis: Etiam si trahatur, ambulare detractat, anhelat graviter, frequenter suspirat, ronchos[d] ducit,
2 ilia suspendit, dum manducat, tussit. Ex quo vitio difficile liberabitur, licet in longum protrahat vitam. Pulmo enim eorum contrahendo se comburit[e], unde & macies cum morte insequi consuevit.
3 In recenti tamen hanc curam festinanter adhibebis:

a) (costi, iringii (*pro* eryngii) radicis casiæ ana) *ins.* S.
b) cinnamomi S. M. c) tunsa, si frequenter suspirat C.
d) runchos *Edd.* truncos *al.* trunculos C. e) convoret C. — *neutrum verum putat* Gesnerus.

Sanguinem de pectore detrahes, & mero oleoque permixtum atque calefactum perunges. Lixivium quoque cineris diligentissime cretum cum oleo optimo temperabis, & per nares diebus quinque continuis eidem digeres[a]. Potionem quoque dabis postmodum: Sinapis Alexandrini frixi, & sulphuris vivi, & myrrhae, cardamomi species aequis ponderibus contundis & cernis, & cum melle optimo decoquis. Ex quo medicamento ad magnitudinem nu- 4
cis cum vino nigro calido dilues, & quotidie per os potionabis. Alii vero myrrhae uncias duas, sulphuris unciam unam, nitri semiunciam, picis liquidae pusillum deterunt, additoque melle & vino vetere odorato, candido, per nares saepius infundunt. Cu- 5
rabis autem ne algeat, temperabis exercitationibus ut sudet: & non solum in potione, sed etiam in foeno nitrum cum melicrato aspersum semper accipiat.

De opisthotonico, & empisthotonico.

XLVII. Opisthotonici quoque similis passio declaratur[b]. Orthotonicus, qui totus est rigidus, opisthotonicus, cui in posterioribus partibus morbus insederit. Cujus ista sunt signa: Aures rigidas[c] habebit, collum extensum, oculos minores, tensa pel-

a) immittes S. M. b) indicatur F. c) frigidas F. M. S. M.

Digitized by Google

lis in facie, labia gravia; ut oscitare & [a] aperire vix possit, cibum potumque fastidiet, cauda rigida, gressus incertus, membra distensa [b], difficile progreditur, & frequenter in posteriorem partem con-
2 cidit, unde opisthotonicus nominatur. Quod genus passionis hieme curare difficile est, æstate autem, si diligentior fueris [c], obtinebis. Quæ passio per æstatem his nascitur causis, si jumentum ardentissimo fuerit sole percussum, vel si in itinere [d] priore claudicans pede, coactum fuerit ambulare vel currere, & vehementius sudaverit, ex [e] dolore, vel si armum læserit, vel supra ipsum jacuerit, ut ar-
3 mus indormiat. Hieme autem cum de itinere vel de exercitatione venerit, & cum sudore steterit sub divo in frigore, aut in loco (recenti) vel humecto aut marmorato, aut tessellato, vel si frigore maxillæ obdormierint, tunc ista ægritudo contrahi-
4 tur. Cui hac ratione tentabis succurrere: Adipis porcinæ veteris libras duas, resinæ terbentinæ [f] semilibram, piperis triti drachmam, ceræ libram, olei veteris sextarios duos pariter decoques, & ca-
5 lidissime totum animal perunges. Multi ervum decoquunt, calentemque aquam capiti ipsius languentis imponunt [g]. Alii in stercore ipsorum calido ob-

a) os *ins.* S. aut os *ins.* C. b) distenta C. c) fuerit cura C. d) ex *ins.* C. e) & ex sudore vel armum *Edd.* f) *pro* terebinth. g) infundunt C.

ruunt ægrotantes, ut languor exsudet. Plerique
colligata[a] jumenta commodum credunt arenis sole
ſerventibus operire. Hæc quoque potio traditur sa-
lutaris: Piperis triti grana viginti[b], cedri[c] pondus 6
denarii[d], nitri unciam unam[e], mixturæ laseris Cy-
renaici globulum ad magnitudinem fabæ, trita at-
que permixta, addita liquaminis[f] floris hemina, &
vini veteris (summi[g]) sextario bis in die per os
digeres. Expertum dicitur, sanguinem bubulinum 7
calidum & fumantem, sed moderate per cornu fau-
cibus infundis. Quod si forte deſnerit, thuris cri-
brati & salis triti ternas[h] uncias cum vino optimo
prodesse dixerunt. Calidis medicamentis animal ex- 8
pedit, dum sanetur, perungi. Adipis quoque porci-
næ recentis coctæ[i], quantum existimaveris, cum oleo
optimo & vino summo & melle commisces, & ad car-
bones (semper) decoques, ac per nares infundes.
Malagma quoque de calidis speciebus in carbonibus
cum oleo ciprino vel communi, sed veteri, solvi-
tur[k] & perungitur. Post curam operitur sagis, & 9

a) colligatis jum. — renes sole ferventi bene cooperiri *Edd.*
b) decem C. S. M. c) *forte* cedriæ. d) scrip. III. C.
e) cotulam unam S. M. olcen unam C. ὁλκὴν, *quæ drachmæ synonimum est*. f) olei floris C. g) summi *om.* S. M. & *potest esse glossa* floris: *sed* vinum summum *etiam est n. sq.* h) ter sulcis scrip. VIII. C. *in* sulcis *latere* olces, holces, ὁλκῆς *nomen*, *suspicatur* Gesn. i) colatæ C.
k) abluitur *Edd.*

in sole calido exercetur a sessore, trepidans[a] dum
sudet. Post sabanis validioribus abstergetur, & de-
nuo unctum operitur, pice quoque liquida admixto
oleo perungendum, non tamen nimia pix sit, ne
10 corium lædat. Nonnulli jam[b] validioribus de cervi-
ce sanguinem detrahunt. Plerique in balneum du-
cunt, calidissimis potionibus curant, id est, lasare
& cymino, aniso, oleo, baccis lauri, ex quibus
11 quotidie aliquid cum vino ministrant. Unctionibus
quoque istis utuntur: Ceræ libram, resinæ uncias
quatuor, opopanacis uncias duas, medullæ cervinæ
uncias tres, olei storacini uncias tres, olei laurini
uncias quatuor, quæ omnia decoquunt, & in sole
aut in loco calido perungunt. Alia quoque unguenti
12 compositio talis est: Baccarum lauri sextarium unum,
cymini sextarios duos, sulphuris vivi uncias tres,
resinæ unciam unam, galbani uncias tres, olei sex-
tarios duos, quæ omnia decoques & uteris.

De lethargico.

XLVIII. Lethargici quoque jumenti ista sunt signa: Jacebit semper & dormiet, neque cibum appetit neque potum, cum excitatum[c] fuerit, continuo aggravatur, & se projicit & macescit[d], & quamcun-

a) & repedens *Edd.* trepidare *est ille cursus, a quo dicuntur trepidarii equi.* b) dicunt sic curari S. M. c) exercitatum C. d) inhorrescit S. M.

que ei dederis potionem, tanquam dormiens[a] vix
suscipit: quod hac ratione curabis: Substernito in 2
stabulo, ubi stat[b], ut bibat ibi: cui caput fomentabis
ex calida[c] pulegio decocta, postmodum perunges
oleo cum adarce trito, ita, ut caput ejus
& aures infundas, ea usurus potione: Camomillam
Illyricam, (idem[d] nos trace) & herbam Artemisiam
in aqua decoquis, ex qua quotidie ei binas cotylas
propinabis: cui & pedes priores frequenter 3
fomentabis calida. Solet enim hæc passio adstrictius
ad rectum pedem contingere. Est quidem periculosa
passio atque curatio; cujus ista sunt signa:
Oculi ejus lacrymabunt, quasi lippiant, in præsepio
dormitans incumbit, a posterioribus ambulans
nutat, & totum gravatur. Cui sanguinem detrahes 4
de pede priori dextro, & de femore sinistro, ex quo
eum perunges. Herbam Artemisiam contundes, &
cribratam[e] dabis cum lixivii sextario, & olei cyathis
duobus, per triduum: quarta die intermittes. Quod
si cibaria non appetit, ervum mollitum[f] ex aqua tepida
(comedat[g], & aquam) bibat. Si minus pro- 5
fecerit, lini semen cum aqua in olla decoques, &
heminas singulas per dies singulos dabis ad cornu,

a) dormitans C. b) stratum cubet S. M. c) cum *ins.* C. S.
d) item nostrate *conj.* Morg. IV, 40. e) i. e. semunc. *ins.* C.
f) mellitum *legunt* F. M. S. M. C. bolum ex melle F. S.
g) *inclusa om.* C. *recte*.

addito melle, quantum[a] sufficiat: quæ potio etiam fe-
6 bricitantibus prodest. Lethargicum animal frequenti exercitatione[b] prohibendum constat a somno. Assidua quoque injungenda est deambulatio, si anteriores pedes ejus miseris in fomentum. Nam furfures sale & aceto permisces, & calentes ungulis imponis:
7 farinam quoque triticeam cum tritis salibus & puscæ sextario uno, faucibus infundes, herbam Artemisiam tunsam cum oleo & modico lixivio dabis ad cornu, abstinebis ab hordeo, fabæ solidæ sextarium porrigis, ut vigilet, donec duriores edomet cibos:
8 de cervice sanguinem ei detrahes. Depletum[c] hac ratione[d] curabis: Afronitri uncias tres, gallæ Syriaticæ uncias duas, spicæ nardi uncias duas, radicis capparis uncias duas, tunsa & cribrata permisces, & terna cochlearia in[e] sextario aquæ tepidæ dabis in potu[f]. Nunquam frigidam, nec nimium calidam, sed tepidam[g] ad bibendum semper accipiat. Assidue flagello excitandum aut voce, ut vitium timore deponat.

De morbo regio.

XLIX. Si quod jumentum morbum regium[h] habuerit, his agnoscitur signis: Utrique oculi virides sunt,

&

a) quod sufficit C. b) excitatione C. c) Repletum S. M. *male*. d) potione C. e) cum C. f) potum C. g) parum *ins.* C. & puram *ins.* S. M. h) i. e. auriginem *ins. in lemmate* C.

& cervicem inclinatam habebit in dextra parte, & pede (dextro[a] etiam) sinistro videbitur claudicare. Cujus curatio est ista: Loco tenebroso[b], ubi lumen videre non possit, clauditur, & operitur sagis ita, ne oculi ejus aperiantur in die, oleo & vino tepido ungetur atque fricabitur. Lapides molares non minus pondera quinque in ignem imponuntur, animalis caput copulatur ad pedes, cum bene canduerint, sub ejus naribus apponuntur, perfusi oleo suffumigatur os, nares & oculi, ut morbi virus exsudet: quod per septem dies continue est faciendum. Tali etiam ratione succurrimus: Sanguine caprino & lacte ovillo, anagallico, costo, oleoque pariter admixto potio conficitur, quæ per dies duodecim datur.

De bili, id est coleribus.

L. Sed interdum biles, quæ choleræ appellantur vulgo, solent jumenta vexare: quæ passio his declaratur indiciis: commovetur ac volutatur ut strophosus. Sanguinem[c] de cervice emittis, daturus ejusmodi continuo potionem: Herbæ trixaginis nigræ unciam semis, mannæ succari unciam unam, nitri uncias duas, altei[d] uncias duas, vini optimi

a) *inclusa om.* C. & S. M. *recte*. b) tenebricoso C.
c) ei *ins.* C. d) *forte* altheæ, *cujus vires huic rei idoneas docent Medici*.

sextarium unum, conteres, ex aqua mulsa heminam unam per sinistram narem infundes.

De bili arida.

LI. Quod si aridam bilem habuerit, myrtum agrestem cum vino contritam per narem dextram defundes, pro hordeo far triticeum dabis. Potionem ipsam temperabis ex aqua.

De coli passione.

LII. Coli passio gravissimos cruciatus jumentis
consuevit inferre, ita, ut cardiaci aut strophosi es-
se credantur; sed his agnoscitur signis: Cum stat,
repente concidit, ut arreptum putes, si satis sus-
pensum fuerit, dolor subsequitur, & jacet nonnun-
quam: cum frigidam aquam acceperit, tremit, su-
2 dat, anhelat. Cui hac ratione succurritur: Anisi
Pontici unciam unam, petroselini unciam unam,
fœniculi seminis unciam, piperis nigri uncias duas,
marrubii unciam unam, abrotani unciam unam,
anethi uncias tres, Levistici[a] scrup. 4, centaureæ
minoris & majoris uncias duas, cametris[b] semi-
unciam, eupatoris[c] scrup. quatuor, gingiberis un-
ciam semis[d], pulegii semiunciam, rutæ unciam,

a) lebistici C. libist. F. & S. *usus est* Gesn. *libertate non magna*. b) camedrii S. M. *sine dubio legendum*, chamædrys. c) *pro* eupatorii. d) silporeum sepum ıııı *hic habet* C. *qui potest capere, capiat.*

apii unciam semis, pariter contundes & cernes: tunc mellis optimi pondera duo cocta & despumata cum omnibus misces, ex quo medicamento ad magnitudinem nucis avellanæ cum aquæ tepidæ sextario dilues, & per os infundes: certissima me- 3
dicina est. Quod si dolor perseveraverit, fœniculi seminis cochlearia quinque bene trita cum vino sincero, sed cibario, sext. 1 dabis. Præterea piperis[a] aliquantulum, & pelliculam de ventre pulli siccatam in furno & tritam cum vino dabis.

De vomica.

LIII. Vomicæ plerumque animalibus nascuntur intrinsecus. Cujus passionis signa sunt ista: Cum accubuerit, difficile surgit, os ei graviter olebit, incumbet in eo loco, a quo vexabitur, tussiet, & purulentum exscreabit interdum. Thuris uncias duas, aristolochiæ uncias[b] duas in uno cum vino tepefacto per nares degeres. Item sulphuris vivi uncias duas, aristolochiæ unciam semis, similiter dabis. Cibo autem maxime sustentandum est, ut habeat corporis nutrimentum. Et cum ruperit vomicam, cauteriis circa pectus aduris, ut facilius provocatus humor emanet.

a) panis *al.* b) unciam semis pulverisa, cibo maxime sustenta, ut nutriatur. Et cum ruperit &c. S. M.

Digitized by Google

De coriagine.

LIV. Passio, quam Græci ecedermiam[a] vocant,
Latini coriaginem appellant: cujus ista sunt si-
gna: Macescet, & sine febre non erit, corium il-
lius adhærebit costis, spina fit durior, in dorso
ejus nonnunquam furunculi exire consueverunt: ma-
gis etiam, quam adsueverat, appetit cibos. Cujus
2 ista curatio est: Thymum & sales cum vino[b] ru-
bro conteris, & tubera, si qua in eo[c] sunt, confri-
cas. Parabis etiam aliam unctionem: Picem, ceram,
resinam cavealem[d], & thuris pollinem ex oleo ve-
teri temperabis ac decoques, totum animal confri-
cando diutissime perunges. Sed parum est unctione
corio mederi, nisi potionibus & intrinseca curentur.
Piperis albi triginta grana, myrrhæ semiunciam[e],
vini odorati veteris cotylam, olei viridis cyathum
3 unum admiscebis & per os digeres. Item fasciculos
rutæ viridis atque purgatæ & opopanacis unciam
unam in cotylam vini & olei viridis cyathum ad-
misces[f], & dabis in potu. Quod vitium ex perfri-
ctionis injuria, aut ex coactione[g] alicujus necessita-
tis descendit. Aliquanti suis non vetulæ sed no-

a) epidermisn dicunt C. b) falisco *ins.* C. c) ejus sunt corpore C. d) *Sic conjecerat* Gesn. & *confirmavit* C. cabialem *Edd.* ticulam S. M. *forte* piculam. e) sesquiunciam *credit* Gesn. f) decoques C. *mox* potum. g) coactionis *al.* necessitate C.

vellæ sanguinem vino permixto ad cornu faucibus degerunt, ignorantes, si plus sanguinis fuerit, continuo animal interire. Cautius est, hac magis po- 4
tione curare: Cepas germanas & semen rutæ pariter admisces & deteres, ex quo uncias tres cum vini cotyla per dies singulos dabis, usurus curationibus, quæ conveniunt roborosis.

De stomachico.

LV. Syntexin[a] animalia patiuntur & homines: quæ valitudo[b] his declaratur indiciis: Cotidie tenuantur, & macie ossa eminent, multum manducantia esuriunt semper, quidquid invenerint, tentant fame cogente corrodere, durum stercus emittunt, trahunt longam ac miserabilem vitam, ut nec surgere valeant: sed jacentia, fatigata, multumque 2
manducantia fame moriuntur. Omnis enim esca, quam sumserint, ad stercus, & omnis potus convertitur in urinam: nullus ex his succus, nullum alimentum pervenit ad medullas. Propterea quod 3
stomachus eorum nimio rigore perstrictus, nec coquere poterit, nec epati aliquid propinare, in quo tota virtus ad nutriendum corpus per dispensationem ciborum, & sanguis præparatur. Tabescit 4
semper, jecurque ejus minuitur ad similitudinem

a) *Ita restituit* Gesn. *Est enim sine dubio* σύντηξις.
b) liquido S. M.

arboris, quæ radicibus ex majori parte præcisis, cum a parvulis aliquamdiu sustentata, portaverit
5 frondes, celeriter exarescit. Quorum manifesto periculo hac ratione tentatur[a] occurri: Inter principia facies unctionem, ceræ libras duas, resinæ terbentinæ libram, medullæ cervinæ libram, axungiæ veteris sine sale libram, propoleos[b] selibram, irisillyricæ[c] libram, samsuci libram, olei laurini, quantum satis fuerit, decoques carbonibus lentis, & ad ceroti mollitiem percolabis, cui adhuc tepenti misces pulverem irisillyricæ & cretæ Cimoliæ[d], do-
6 nec infrigescat[e], agitabis. Ex quo medicamento totum jumentum[f] perunges, & multorum manibus confricabis, donec calefiat & sudet. Quod interposito triduo convenit fieri, ita, ut coopertum animal sit, & cotidie paulatim exerceatur, ut digerat.
7 Cui hæc præparabitur potio: Abrotani uncias quatuor, santonici uncias quatuor, trixaginis uncias quatuor, chamæpityos uncias quatuor, gentianæ uncias duas, murrhæ uncias duas, opopanacis uncias duas, ejusdem radicis, succari semiunciam, rutæ
8 aliquantulum, omnia bene tundis & cribras: ex quibus duo cochlearia in vino veteri decocta cum

a) tentabis occurrere C. b) *ſic* C. propulegii *al.* populei lib. I. sem. malvæ lib. sem. samsuci libram semis S. M. *Illud* propoleos *confirmat noſter* 4, 13, 1 & Dioscor. 2, 106.
c) *pro* Iridos Illyr. *mox* selib. d) pariter *inſ.* C. e) refrigescat C. f) corpus C.

succo ptisanæ, in quo acro decoctus est, admiscebis: adjunges etiam ervi pollinis cochlearia duo, quæ cum per novem dies continuos dederis, intermittis aliquamdiu, ut vires colligat & resumat, &
per singulas periodos[a] alternis curabis. Nec cessabis, 9
donec sanitas redeat. Diebus autem vacuis offas ex farina triticea in lacte conspersa ad substantiam degeris: furfures quoque triticeos & paleas dabis[b], hordeum non dederis, nisi fortassis infusum, denegabis etiam herbam viridem, donec reparare[c] cœperit corpus.

De icterico.

LVI. Icterici[d] ista sunt signa: Oculi virides, de quibus profluet lippitudo, ad similitudinem fabæ: indurescit corium, fit horridum pilis, insequitur fatigatio, ambulans genibus claudicabit. His sanabitur 2
medelis: Panacis[e] Syriatici & apii seminis singulas libras contundito atque cribrato, & cum mellis Attici libra misceto, tunc aquæ, in qua lupini crudi fuerint decocti, sextario, ex medicamento superius descripto, quatuor cochlearia miscebis, & in potione dabis per dies quinque. Si tardius adjuvat[f], 3

a) hebdomadas F. M. S. M. *quam vocem posuit*, *qui* periodos novem dierum *hic intelligi*, *non cogitabat*. b) ministrabis, C. c) saturari S. M. d) buginosus *vocatur in lemmate* S. M. *quod truncatum est* ex albuginoso C. e) radicis S. M. f) ambulat S. M.

vini sextarios tres in pultario novo, canini stercoris albi uncias tres admisceto, & ponito sub divo, ex qua potione quinque diebus per os degeres. Præterea aquam, in qua ciceres decocti fuerint, & stercus caninum simili ratione præbebis.

De stropho.

LVII. Strophi diversæ causæ & diversæ sunt curæ: cujus ista sunt signa: Volutatur, patitur torsiones[a], ilia sibi respicit, stercus durum assellat, terram pedibus tundit dolore cogente, intermissis horis refrigerationem sentit & requiem.. Hac potione[b] curandum est: Acori, anisi, opopanacis, singulas libras pariter contundis & cernis, ex quo pulvere duo cochlearia in vini veteris sextario & olei pondo semis admisces, & tepidum per os dabis tri-
2 duo. Si strophosus fuerit, & non facit ventrem, caudam inter coxas suas mittet, & ad ventrem suum conversus attendet: cui pulverem de semine rutæ silvaticæ cum vino per os dabis. Præterea cepas decem veteres[c], ficus siccæ scrup. octo, nitri scrupulos quinque, stercoris columbini scrupulos quatuor, ex quibus, addita urina[d] collyria facies, & bina vel
3 terna in anum[e] immittes. Si vero fortius venter

a) tortiones C. b) ratione C. c) deteris C. tere S. M.
d) amurca S. M. *quod prætulerit* Gesn. e) manu per posteriora S. M.

induruit, convenit adhibere clysterium, sed prius ventrem aqua calida perfovebis. Tunc succum Cantabricum, in quo fuerint betæ malvæque decoctæ, cum nitro & hemina olei, & columbini stercoris quatuor scrupulis, pronum constitues, & per anum injicies jumento, ita, ut post clysterem inambulet aliquantulum. Alii fimum leporis cum novem cochlearibus mellis, & quindecim granis piperis, addito caulium succo, per os salubriter defundunt.

De dolore jecoris.

LVIII. Jecoris dolor solet infestare jumenta, cujus ista deprehenduntur indicia[a]: Cibi fastidium, potus[b] appetentia, ventris inflatio, macies. Cui primo cremoris ptisanæ sextarium unum, cum olei rosacei tribus cyathis per os degeres. Si passio permanet, alia potione curabitur: Apii seminis uncias tres, hyssopi uncias tres, abrotani unciam unam, allii[c] viridis, quantum[d] sufficit, vel sicci[e] paulo minus, si viridem abnegat tempus, ex vino optimo ad tertias decoques: per aliquot dies potionem dabis. Similis quoque hujus passionis est ratio. Sine 2
febre enim animal non erit, nec facile cibum conficiet, testiculus[f] dexter tumebit &[g] induresceet.

a) signa C. b) sitis valida, latus sibi inspicit S. M.
c) *prater* C. & S. M. olei *alii*. d) quod satis est C.
e) succi *Edd. cum* Gesn. *ratio* & C. f) *interpunctum hic sustulit* Gesn. g) ei *ins*. C.

Cui ista subvenit medicina: Fœnigræci cyathos quatuor mittis in aquæ fontanæ sextarios quatuor (i.[a] grana triginta) & decoques ad tertiam partem : hemina per os data potione curabis. Nonnulli thuris drachmas duas tritas cum vino, quantum sufficit, miscent, & inde totum corpus multorum perfricatur[b] manibus, saccis[c] cooperiunt, ut sudet.

De inflatione ventris.

LIX. Inflatio ventris interdum jumenta non sine dolore conturbat. Cujus passionis ista sunt signa: Testes eorum sudabunt, alternis pedibus terram tundunt, subito[d] inde alterna parte se convertunt, caput ad ilia sua ponunt, tanquam qui locum doloris ostendant, gemitus interdum & tremor totius corporis insequitur. Hunc paulatim deambulare facies, manum unctam in anum mittes, & stercus extrahes[e]: deinde sale & melle mixtis in anum infundes, ut assellandi augeat voluntatem.
2 Si hiems fuerit, oleo & pice liquida lumbos & auriculas illius saturabis, hanc daturus potionem: Laurum viridem vel baccas ipsius, piper & ciminum, petroselini & fœniculi semen, semen agrii & nitri, quæ pariter admixta, tunsa & cribrata cum vino &

a) *inclusa om.* C. *recte.* b) perfricant C. c) & satis S. M. sagis C. *quod forte melius.* d) subinde in alteram partem S. M. C. e) exhauries C.

oleo tepido, & calidæ aquæ parvula portione potionabis, & deambulare compellis moderate, donec dolor cesset.

De inteſtini vexatione.

LX. Intestini quoque vexatio, quod colon vocatur, & inflationes & dolores consuevit inferre: quæ his agnoscitur signis: Cum ambulare cœperit, prioribus pedibus transvaricat & dolore subglutit, & crebras deambulationes & calores stabuli, si diligenter etiam operiatur, diligere consuevit. Cui per nares suffundes laser Cyrenaicum[a] in vino tepido solutum.

De tuſſi.

LXI. Frequenter omni genere deforme vitium, eo quod maximæ animalium parti accidit, tussis est, quæ interdum sponte desinit, interdum medicamentorum ratione curatur, interdum insanabilis penitus invenitur. Difficultas autem curationis emergit, quia causæ, ex quibus tussis evenerit, a medentibus nec discernuntur, nec intelliguntur interdum. Quam passionem universis auctoribus evolutis, quanto crebrius accidit, tanto studiosius credimus exponendam.

a) Cyriacum *Edd.* Syriacum S. M.

Digitized by Google

De tussi, quæ venit, si quid faucibus hæserit.

LXII. Exasperatio aut injuria faucium gravissimam commovet tussim, quoties aut pulvis, aut arista, aut os, aut surculus, aut lapillus, aut aliquid inhæserit gutturi. Quæ res adeo periculosa est, ut nisi celeriter subveniatur, animalibus per impatientiam doloris insaniam[a] generet. In sole igitur diligenter inspicito, si quid hæserit, evellito.
2 Ex tepida etiam, addito nitri pulvere, infusa spongia tergito. Deinde oleo rosaceo tepido cum lana obturato locum, qui indignationem sustinet. Post diem tertium lanam ejicies, eadem, ex qua calida fovebis, & tale medicamentum imponis: succari scrup. quatuor, aluminis colati scrup. 1 ex tepido vino infundes, & sic exasperata sanabis.

De tussi ex perfrictione.

LXIII. Ex perfrictione[b] quoque nascitur tussis; cujus ista sunt signa: Cum tussierit, caput deorsum mittit usque ad terram, & cum biberit, aqua[c] ei per nares currit. Quam hac ratione curabis: Machinam ori inseres, manum planam injicies, comperies in parte superiore quasi vesiculam, quam

a) mammam C. *forte* manian. b) præfocatione S. M. *male*.
c) aquam C. *scilicet ad præcedens comma retulit*.

Digitized by Google

unguibus rumpis. Deinde tres pilulas bene contusa axungia mollissimas facies, quas in subtilissimo lomento, hoc est, farina fabacea, convolves, & per os digeres. Deinde per triduum venaculo & sale perfricabis, & pastillos cum speciebus calidis & vino in potionibus dabis.

De tussi a colibus.

LXIV. Tussis a colibus[a] si fuerit, his signis agnoscitur: Coles injuriæ pleni sunt ac tumebunt, dum bibunt, continuo ruminant. Ovum in aceto acerrimo mittis, resolutaque testa, ita, ut integra membrana permaneat, pice liquida perunges, & faucibus degeres. Post alumen, axungiam, salem, in vino conteres, offas facies, & ex melle dejicies, ita, ut aqua calida, & si facultas suppetit, cum evisco[b] decocta, assidue fomentare non desinas. Hanc quoque potionem adjicies: Myrrhæ uncias duas, piperis albi semiunciam, nuclei pini purgati sextarium semis, uvæ passæ sextarium semis, mellis uncias tres, pastinacæ unciam unam, cariottæ[c] viridis selibram, decoques pariter ex aqua, & ad-

a) *spiritualibus* S. M. *in lemmate*: vitalibus S. M. *context.* atolebus C. *quod corruptum ex* a colibus *videtur*, *aut potius* tolibus, i. e. *tonsillis*. b) ejus decocto S. M. *quem recte refutat* Morg. IV, 42. eviscus *vel*, *ut* C. ebiscus *est* hibiscus. c) *leg.* caryotæ.

dito vino tepido quinque vel sex diebus potionare non desinas.

De tussi ab interioribus.

LXV. Ab[a] interioribus gravior & pene insanabilis tussis est, quæ hac ratione dinoscitur: Nares jumenti præcludes, ut spiritum reddere non possit, tunc ilia ei inspicies, quæ si spissis pulsibus duxerit, scito esse tussim ex causa jecinoris, pul-
2 monis, vel præcordiorum, sed recentem. Si lentis pulsibus ilia duxerit &[b] ventrem, indicat tussim de interioribus, hoc est, de his locis, in quibus intestina jumentorum ligantur, quorum tensione &
3 injuria compelluntur tussire. Nam si cursu nimio vel latiore saltu convexata ilia fuerint, hæc nascitur causa[c]. Ex nimio quoque æstu, vel intolerabili frigore interiora vitiantur, & faciunt tussicos[d].
4 (Unde vulsi appellantur.) Sive igitur ex supra scriptis sive ex aliis causis interioribus nata fuerint vulnera, etiamsi post sanitatem duxerint cicatrices, strictius tamen contrahendo se & asperitatem faciunt, & assidua titillatione perpetuam excitant tus-
5 sim. Quæ causæ lenissimis medicamentis adjuvari

a) Si gravior C. *quæ ſi vera eſſe debet lectio, legendum etiam*, ea hac &c. b) veterem indicat S. M. C. c) , unde vulsi appellantur, *hic inſerendum putat* Gesn. d) *Pro* tussicos *forte legendum phthiſicos; aut pro* & si quos hecticos.

vel suspendi aliquatenus possunt, persanari omnino non possunt. Hinc est, quod in herba viridi vel pascuis vulsorum vitia celantur. Sed omni tempore 6
hæc compositio est salutaris: Fœnigræci heminam, seminis lini heminam, traganti unciam unam, thuris masculi unciam unam, myrrhæ unciam unam, succari, ervi pollinis ana unciam unam tunsa & cribrata in calida infusa permaneant, altera die ex aqua tepida singulas cotylas dabis ad cornu, cyatho olei rosati permixto, per plurimos dies. Ex qua composi- 7
tione recens causa sanabitur; vetus sentiet levamentum. Ad quæ vitia nunquam dederis austeriorem potionem, ne exasperet & decidat: sed lenem[a] & simplicem, & refrigeratoriam. Cavendum etiam est, ne in tali passione unquam sanguinem detrahas. Plerique tracanton ex oleo dedere per 8
biduum, tertio die decoctos raphanos atque contusos propinarunt cum vino, refrigeratorium pastillum addentes in æstate. Ad tussim diversæ sunt 9
potiones, quas proprie omnes inserere necessarium duximus, ut pro qualitate passionum, medentis arbitrio remedia commodentur[b]. Farinæ fabæ frixæ sextarios duos infundis in passi sextariis tribus, & in mortario diutissime conteres: piperis triti grana triginta, sepi hircini libras tres pariter admisces,

a) levem *Edd.* b) *forte* accommodentur.

Digitized by Google

& omnia tusa & cribrata per os ad cornu per tri-
10 duum dabis. Nonnulli vero duobus sextariis conditi fabæ frixæ heminam ante triduum fundunt, post deterunt diligenter, & æquatis partibus per triduum degerunt. Aliis placet farinæ fabaceæ sextarium unum tribus sextariis vini veteris infundere, additaque olei optimi libra pariter deterere, ac da-
11 re per cornu. Si tussis ex ruptura vel vulsione provenerit, anagallicum[a] primo tundes, post herbam parietariam[b] (pro duabus partibus) teneram admisces, adjunctaque axungia veteri conteres diligenter, & pastillos facies, quos impari numero & imparibus diebus cum resoluto butyro ac melle diffun-
12 des. Ad levem tussim viatoria[c] sunt expeditaque remedia, porros decoquere, & cum herba parietaria bene tunsa[d] miscere, factisque pastillis in ovo resoluto & oleo roseo, nec non & passo & melle convolvere, & per triduum dejicere, succum ipsius juris, in quo decocti sunt porri, insuper dare per cornu. Item laser (id est opium Cyrenaicum[e]) ad magnitudinem fabæ, cum vino veteri deteres & per cornu dabis. Tussi & gravedini capitis medebitur oleum roseum vel certe simplex, sed viride

cum

a) simphitum S. M. *pro* symphitum, *quam* Alum Gallicam *Scribonio dici notat* Dodonæus p. 134. b) paritariam *omn.*
c) juvatoria sunt expertaque rem. S. M. experta *etiam* F. M.
d) *sic jubet* Morg. IV, 4. tonsa *alii*. e) Syrenicum *omn.*

cum aqua calida per narem dextram per triduum diffusum.

De vulsis.

LXVI. Vulsis glutinare creditur, si draganti[a] uncias duas pridie infundas in calida, fœni quoque Græci heminam, lini seminis heminam, separatim infundas, die postero in cacabo decoquas & pariter teras, post medullæ cervinæ uncias duas, sepi hircini libram, radicis dracontiæ[b] unciam unam, gentianæ unciam unam, centaureæ unciam unam, sepi taurini unciam unam contundes & illis, quæ prius parata sunt, addas: quæ omnia in mortarium mittes, & diutissime con-
teres. Ad ultimum passi sextarios tres, & aquam, 2
in qua fœnum Græcum vel semen lini fuerat infusum, adjicies & decoques, ac per triduum ad cornu dabis. Graviter tussientes & vulsi hac potione
recreantur: De masculo pinguis porcinus acro deco- 3
quitur, donec omnis caro solvatur, abjectisque ossibus universis, cum jure[c], quo deferbuerant, & tribus sextariis passi[d] & sextario ptisanæ rursus in
cacabum mittis: glutis taurinæ[e] semiunciam, aceti 4

a) tracanti C. *verum est* tragacanthi. b) tragenteæ S. M. tracontiæ *al. pro vero quod posuit* Gesn. c) in *ins.* C.
d) succidi *ins.* F. & S. *in quo* Gesn. *putat* succidis *vel* concidis. *Sed est etiam* vinum succidum 3, 67, 4. e) *præter* C. & Prisc. taurini *al.*

acerrimi hemina dimidia conjungitur; & fervet, ut quilon fiat: traganti unciæ tres, lini seminis & fœni Græci unciæ singulæ decoquuntur extrinsecus &
5 teruntur: adjunges etiam medullæ cervinæ & sepi hircini uncias tres: quæ ad ultimum, cum omnia pariter calefacta fuerint & colata, facies potionem, ex qua per cornu dabis animalibus diebus septem, aut novem: curaturus, ut tepefactam degeras, quæ ne spissentur, adjectio passi, & aquæ illius copia, in qua cocta sunt semina, præstat liquamentum.
6 Aliquanti caput agninum tam diu decoquunt, donec omnis compago solvatur, abjectisque ossibus terunt, adjectoque[a] ad jus ipsius melle, diebus sep-
7 tem ad cornu digerunt. Quod si tussis ex faucibus veniat, myrrhæ uncias tres, cardamomi unciam unam, nuclei sextarium, uvæ passæ sextarium, deteres diligenter, additoque melle agitando lentis carbonibus decoques: cum intepuerit, pastillos ad nucis magnitudinem facies, quos ternos cum buty-
8 ro diebus quinque vel septem degeres. Item si ex faucibus causa est, occisum pullum palpitantem aperies, & tollis ejus ventriculum, quem cum suo stercore calentem & integrum in melle convolves, & per canalem degeres: certissimum ac verum[b] re-
9 medium est. Si exasperatio gutturis moverit tus-

a) adjunctoque C. b) utile C.

sim, murrhæ uncias duas, piperis uncias duas, seminis lini frixi & contusi sextarium, cardamomi semiunciam, uvæ passæ sextarium, nuclei sextarium, mellis pondo duo, diligenter trita commisces ac decoques, pastillos ad nucis magnitudinem facies, ternos in die degeres.

De tuſſi, quæ ex humorum acerbitate generatur.

LXVII. Tussi, quæ [a] ex acerbitate humorum provenit, tali ratione succurritur: In primis purgandum est corpus tussientis. Cucumerem itaque silvaticum vel radices ejus cum nitro Alexandrino conteres, adjunctoque vino vetere per os dabis ad
cornu. Quæ potio cum laxaverit ventrem, post 2
diem tertium squillæ [b] validioris scrup. quatuor contundes, & optimi laseris, quantum fabæ patitur magnitudo, commisces, vinique odorati sextarium, & olei veteris libram addis, & cum diligenter omnia cribraveris, triduo per os defundes ad cornu [c].
Istis quoque suffimentis non minus, quam potioni- 3
bus adjuvabis: Sandarici [d] uncias tres, asphalti uncias tres, allii & ceparum uncias [e] tres: quæ cum pariter triveris, in tres partes æqualiter divides, & per triduum cooperto ori vel capiti subjectis carbo-

a) quam humorum acerbitas excitat C. b) scyllæ C.
c) Item alia *inſ. Edd.* d) Sandaricis C. *rectum* sandarachæ. *Quod tuetur etiam* Morg. IV, 15. e) tantundem C.

nibus suffumiges, ut odor impleat nares: cujus ta-
men oculos prius ligabis, ne medicamenti acerbi-
4 tate lædantur. Herbæ quoque marrubii fasciculum,
quam magnum volueris, deteres, & cum ovo &
vino succido admisces, addita adipe cervina, vel si
defuerit, vervecina[a] cum cera resolvis, & cum te-
5 pida ad cornu degeris. Gravissimæ subvenit[b] tussi,
si pilulas cypressi decoquas, & purges diligenter,
addita axungia, & anagallico, & foliis tenerioribus
herbæ parietariæ[c], contundas in pila, & pastillos
ad nucis magnitudinem facias, quos quotidie impa-
res cum melle & oleo & vino passo, ovis intin-
6 ctos dejicies. Si placet, pro pilulis etiam folia cy-
pressi contusa miscere cum omnibus supra scriptis,
potes[d] liquidiorem facere potionem, & dare per
cornu. Ad omnes tusses talem dedere plerique po-
tionem: Draganti, myrrhæ, spicæ nardi ana unciam
unam detrivere sollerter, & cum duobus sextariis
passi per triduum diffudere.

Ad tussim siccam vel ad suspirium, & arteriam exasperatam.

LXVIII. Ad arteriam exasperatam, & ad spasmum: Hyssopi libram[e], fœni Græci selibram, se-

a) verbenaceam *Edd.* vervicina C. b) subvenitur C.
c) paritariæ *omn.* d) *præter* C. poteris picis liquidæ *al.*
e) semis *ins.* C.

minis lini, tracanti, anagallici, rutæ viridis singu-
las selibras, salis heminam dimidiam conteres, &
usque ad tertiam decoques cum passo, tussienti per
triduum, vulso per novem dies dabis. Alii petro- 2
selini Macedonici unciam unam semis, dauci un-
ciam unam myrrhæ, spicæ nardi, costi, tracanti,
singulas uncias, prius in mulsa tepida diffusas, aco-
ri, piperis, succari ana unciam unam, guttæ Am-
moniacæ[a] uncias duas, cassiæ unciam unam, pari-
ter deterunt, pastillos ex mulsa faciunt, post cum
passo dejiciunt tædianti. Ad tussim veterem & ad 3
suspirium, vel anhelitum & ad synanchen[b] mox de-
deris storacis rubeæ uncias tres, myrrhæ troglodi-
tis uncias duas, opopanacis uncias duas, irisillyricæ[c]
uncias duas, galbani uncias duas, resinæ terbenti-
næ uncias tres, herbæ symphoniacæ[d] unciam unam,
pariter commisces & deteres, pastillos facies cum
melle. Præterea axungiæ libram semis, Caricas 4
quindecim, pineam combustam, & in pulverem re-
dactam, liquaminis optimi heminam, mellis libram
cum cauliculis excoctis, offas faciunt, & cum pas-
so degerunt. Aliquanti hederæ folia, item populi 5
albi folia, æquo pondere deterunt, & cum vino
albo[e] per nares defundunt. Alii rutæ folia cum

a) Armeniacæ *Edd.* amoniaci C. b) *si habent Edd. quod omisit* Gesn. c) iris illyrici C. *Verum est* iridis Illyricæ.
d) *præter* C. simponiacæ *al.* e) candido C.

melle [a] deterunt, & cum vino optimo per nares defundunt. Alia: Cucumeris silvatici folia fœno miscent, radicemque ipsius contundunt, & cum lini
6 semine & hordeo commixta offerunt. Experimento probatum est tussim suspiriumque sanare [b], si sulphur vivum & rosmarinum cum melle & vino veteri per sinistram narem degeras. Aliquanti panacis radicem detritam cum vini optimi hemina & tribus cyathis olei, per cavernas naris sinistræ infundunt. Præterea rosmarini scrup. quatuor, myrrhæ scrupulos duos, cum vini veteris sextario, olei hemina, per nares triduo defendunt, ita ut in die detur hemina. Anethi acetabulum, irisillyricæ acetabulum, rutæ scrupulum unum, olei heminam di-
7 midiam [c] per os digerunt. Suspirium quoque ac tussim relevat, si radicis mori scrupulum unum, herbæ heliotropii uncias tres, diligenter conteras, & cum hemina vini candidi per os defundas. Recens quoque tussis experimento curationis sedatur: Lentis sextarium semis emolis, farinamque mollissimam facies, ex qua singulas heminas cum singulis he-
8 minis aquæ per os per triduum degeres. Vetus autem tussis aboleri creditur [d], si cyathos tres ex succo porri cum hemina olei pluribus diebus per fau-

a) molliora conterunt C. b) sanari C. *Poſt* sanare *interpungunt*, *&* Alia *ponunt* *Edd.* c) mane *inſ.* C.
d) ita *inſ.* C.

ces defundis. Tussientes ac vulsi hac potione curantur: Panacis radicis uncias duas, sulphuris vivi unciam unam, thuris masculi uncias duas, myrrhæ troglodytis[a] unciam unam commixta in pulverem rediges, ex quo duo cochlearia cum duobus ovis, addita vini veteris hemina, diebus quinque vel septem per os dabis. Expertum dicitur, ulmi cine- 9
rem levissimum, id est favillam aqua tepenti permiscere, & olei boni æquam mensuram addere, junctisque tribus ovis, diebus quot volueris dare per fauces.

Ad vomicas & tussim.

LXIX. Validissima contra tussim & vomicas compositio est: *Succi marrubii expressi heminam*, Caricas siccas XXV, mellis Attici vel cymini sextarium semis, in olla nova ad medium decoques, post myrrhæ troglodytis uncias duas, dauci unciam unam, cassiæ fistulæ unciam semis, cinnami[b] semiunciam, thuris masculi unciam, aristolochiæ uncias duas, opopanacis unciam, irisillyricæ unciam semis, radicis panacis unciam, universa conterito atque 2
cribrato, & supra medicamentum, in quo mel & ficus coxeris, mittito, & studiose agitans fervere facito paulatim carbonibus lentis, post in pixidem

a) trigloditis *Edd.* b) cinnamomi C.

plumbeam vel ligneam condito, ex qua bina cochlearia cum hemina vini per os quotidie degeres.

3 Vulsis vel tussientibus prodest singulos sextarios lentis, fœni Græci & lini seminis frigere[a] separatim, & pulverem facere, & de singulis speciebus singula cochlearia cum succo anagallici, & succo plantaginis, quantum volueris, addito vino, per os dare.

De diversis potionibus vulsorum & tussientium.

LXX. Ut diversæ causæ sunt, ita & difficiles curæ. Quapropter studiose, quæ experimentis nostris vel aliorum probata cognovimus, intimamus. Ad unum itaque animal talis potio præparatur: Fabæ frixæ sextarium sine sale cum aqua decoques,
2 quemadmodum hominibus consuevit apponi. Præterea fœni Græci sextarium separatim mittis in cacabum, & cum fervere cœperit, primam aquam fundes, post addis aquæ sextarios quinque, Caricas viginti, liquiritiæ[b] uncias duas, tantum ferveat, donec quatuor sextarii remaneant, tunc fabam istam coctam & fœnigræcum cum Caricis vel liquiritia[b] in mortario diligenter deteris, addis insuper butyri, sepi hircini ana uncias duas ad calorem diligenter resolutas: quæ cum omnia miscueris, addito jure[c],

a) terere S. M. b) Lyciriæ C. *verum* glycyrrhiza.
c) tepido *ins.* S.

in quo fœnum Græcum decoxeris, tepefacta, per
cornu plus quam singulas heminas diebus singulis
faucibus[a] digeris. Quod si spissiorem videris potio-
nem, tantum passi addis, ut possit per cornu exi-
re. Barbarorum usus adversus tussim invenit sa- 3
lutare remedium. Radicem herbæ, cui nomen est
inula, quam Campanam plerique appellant, colli-
ges, in umbra siccabis, postea deteres, in pulve-
rem rediges, ex quo terna majora cochlearia in
singulos sextarios vini veteris pridie infundis, &
cum bene agitaveris, claudes, ne odor herbæ salu-
taris exhalet; per os triduo, vel quot volueris die-
bus, degeres. Item alia: Lentis Alexandrinæ, fœ- 4
ni Græci, lini seminis, heminas singulas decoquis,
addisque ei draganti unciam semis, pridie in tepida
infundis, & anagallici uncias tres diligentissime re-
solutas, quæ cum omnia in mortario triveris[b], in
cacabo novo cum tribus aquæ sextariis decoquis,
exinde tertiam partem cum sextario passi tepidum
per os dabis triduo continuo: sanare[c] creditur vul-
sos. Si jumentum ex vulneribus faucium tussis ur- 5
gebit, irisillyricæ unciam unam, piperis nigri se-
miunciam, succari scrup. unum, myrrhæ troglitis
semiunciam, thuris pollinis semiunciam, traganti

a) dabis C. b) cribraberis C. *h. e.* cribraveris, *quod inserendum potius quam cum* triveris *permutandum*. c) stagnare C. *mox* vulsum animal.

prius infusi & triti unciam unam, ova quinque cum passi sextario commisces, & triduo per fauces degeres ad cornu. Post mel, butyrum, axungiam; salem & piculam commisces, offas facies, & in
6 passo intinctas degeres. Si ab internis intussierit, succi ptisanæ heminam, defruti cyathum misces, & per triduum dabis. Si gravius tussierit animal, fabæ frixæ & coctæ sextarium, sevi hircini uncias tres, allii capita tria pariter decoquis, & in mortario deteris, & cum passo dabis. Curat autem
7 vulsos & ruptos: Fœni Græci sextarium unum, cum viginti Caricis, fasciculo apii, & fasciculo rutæ in aqua ad medium decoquis, ita ut post modum traganti resoluti unc. tres, & anagallici contusi unc. tres, & allii[a] tres addantur, & omnia conterantur, offulisque ad nucis magnitudinem factis, ternæ, quinæ, septenæ per triduum degerantur.

De scabie.

LXXI. Scabies jumentis deformem passionem, & interdum periculum generat. Contagiosa namque est, & transit in plures. Cui nascenti medicamentis non oportet occurrere[b], ne præclusa cute in visceribus residens convertatur in morbum. Sed ut eru-

a) contusi; aliæ pariter add. C.. b) occurri C.

perit foras, primo purgatio ventris adhibetur, si
pulverem ex[a] cucumere silvatico cum vino faucibus
animalis infundis[b], vel certe, si radicem[c] conciſam
copioſe cum hordeo subminiſtres. Quod cum ex 2
ratione processerit, interposito triduo, aliquantu-
lum sanguinis, si caput & collum scabies infeſtat,
de cervice detrahes. Si vero scapulæ vel armi,
aut pectus in causa est, de brachiolis sanguis emit-
titur. Cum spinam vel lumbos aut coxas papulis
æstuans prurigo pervaserit, de femorum venis san-
guis emittitur[d]. Asphaltum, sulphur vivum, picem 3
liquidam in butyrum æquis ponderibus pariter dete-
ris, & in sole diutissime confricans totum jumenti
corpus perungis[e]: aceti acris sextarium, piculæ un-
cias quatuor, cedrinæ[f] uncias quatuor pariter deco-
quis, scabiosum animal ex lotio humano & calida
permixta diligentissime perfricaturus, tunc penicillo
in fuste ligato medicamentum inducis in sole asphal-
tum & sulphur æqualiter conteris, addita adipe por-
cina, & olei veteris tantundem, quæ cum decoxe-
ris, perunges in sole. Adipis libram, sulphuris vivi 4
uncias duas, bituminis unciam unam, olei selibram,
picis liquidæ cyathos duos, omnia conteris & de-
coquis, & perungis sicut supra scriptum est. Lotii

a) radice cucumeris silv. *Edd.* b) infuderis C. c) minutatim *inſ.* C. d) auferatur C. e) item *inſ.* S. f) cedri C. *an* cedriæ?

veteris humani, fæcis scrup. quatuor, stercoris ovilli
selibram, olei heminam, sulphuris vivi uncias tres,
picis liquidæ cyathos tres, omnia contere & decoque,
& in sole calido animal semel in die perunge.
Bituminis pondo duo, sulphuris vivi selibram,
ceræ libram, mannæ thuris selibram commisces
in oleo, in quo prius fasciculus anchusæ[a] de-
5 coctus est, & perungis in sole. Alia: Si minus
habeat integras vires, ranas in aqua decoquis, unctumque
earum colligis, & cum polline lenticulæ,
adipe & oleo permisces, tepefacto perungis. Item
alia: Cucumeris silvatici radices lavas & tundis,
in cacabo novo cum oleo, quantum sufficit, decoquis
& uteris. Sulphur quoque cum vino[b] decoctum
6 similiter juvat. Si vetustate scabies occalluit[c], prius
obradenda[d] ferro, vel testis ad vivum est, insuper
humano lotio cum aqua marina vel salsa mixto confricandum
est: post sulphuris, bituminis, picis liquidæ,
axungiæ veteris, sepi caprini, ceræ, aluminis
spissi[e], singulas libras contundis, misces &
7 decoquis, & sic animal perungis in sole. Folia
rhododafnes cum oleo vetere decoques, addita pice
liquida, & aceto, & cera: certum est de experimento
remedium. Memineris tamen in omni unctio-

a) aricusæ *Edd.* b) candido *ins.* C. c) obcalluerit C.
d) erad. C. e) *an* scissi *h. e.* scissilis, σχιςῆς.

ne, contra pilum jumentum in sole diutissime confricandum.

Si animal fœno malo lædatur.

LXXII. Viciatum aliquo[a] casu vel mucidum fœnum ad similitudinem veneni animalibus nocet, quorum ista sunt signa: Oculos habebunt vagos & semper micantes, ipse gradus eorum erit incertus. His de matrice auferendus est sanguis, de[b] brachiolis flebotomandi sunt, & potionandi (ita,) Caricis in vino odorato decoctis, rursum detritis: abstinendi ab hordeo & fœno: dandæ[c] etiam diureticæ potiones.

Si hordeo malo lædatur.

LXXIII. Simili observatione curantur, quæ nimio hordeo aut malo læduntur. Sed hæc etiam in aqua frigida adversus torrentem diutissime detinentur. Utrique remedium est, pelliculam de ventre pulli siccatam fumo deterere, additisque octo scripulis piperis, & quatuor cochlearibus mellis, & uncias pollinis ex thure cum sextario vini veteris tepefacto per os dare.

a) *Sic* C. aliquoties vel modicum *Edd.* b) debrachilandi sunt etiam & pot. C. *an* debrachiolare *dixerunt? ut* dematricare *noster sæpe.* c) sunt *ins.* C.

Digitized by Google

Ad fascinum.

LXXIV. Fascinatum animal triste est, gravatur incessu, macescit, & nisi subveneris, incidet in morbum. Bituminis igitur & sulphuris parum cum granis lauri ex aqua defundis per nares. Præterea coriandrum vel semen ipsius cum sulphure & teda carbonibus circumferes, ex aqua ferventi animal consperges, suffumigabis. Universis quadrupedibus remedium præstat ista suffumigatio, curat, atque morbis resistit.

Remedium contra omnes morbos.

LXXV. Adversus universas infirmitates & morbos equorum vel boum, ubi primum cœperint ægrotare, potio ista succurrit: Radix scillæ, radices populi, quæ græce appellatur rhamnos (nam est fuscior & nubellula[a]) & sales[b] communes, quantum sufficit, mittes in aquam, eamque animalibus usque ad sanitatem dabis in potu. Quod si desperatas valetudines præoccupare volueris, ne unquam accidant animalibus tuis, incipiente vere hanc illis[c] præparabis potionem, &[d] per quatuordecim dies continuos dabis in potu.

a) rubella *conj.* Morg. IV, 26. b) salis communis C.
c) tempera pot. C. d) animalibus omnibus *ins.* C.

Si animal lædatur, dum accipit potum.

LXXVI. Ostendendum autem est, potiones ipsas oportere cum[a] ratione defundi; siquidem frequenter evenit, ut, dum animalia potionantur, tussiant, sudent[b] graviter, & tremorem musculorum omnium patiantur, follicent[c] etiam & submisso capite se sustinere vix possint. Quod accidit[d], si, quando per imperitiam (artis) dantis, potio in arterias & spirituales[e] partes pulmonis resilierit. Unde fit & periculum præsens. Quare observandum 2
est, ne tussienti jumento & pendenti[f] adjicias potionem, sed statim (eum) solvas, paululumque[g] deambulet, & magis ei alia potione subvenias: Aquæ tepidæ oleum rosatum commisces & agitas, & per os sæpius dabis. Pusca[h] quoque pulejata nares ejus fovebis, & emendabitur culpa. Observandum quoque est, ut subtracto hordeo, & negato potu digerat animal potiones.

Si animal a venenatis bestiolis mordeatur.

LXXVII. Plerumque a nocivis[i] animalibus, id est colubris, scorpiis, phalangiis, & muribus cæcis

a) *Sic conjecerat* Gesn. *&* *confirmat* C. curatione *Edd.*
b) salent F. M. S. M. c) follientes & *Edd.* d) evenit C.
e) *forte* spiritales *quin* in spiritales *diserte* C. f) *forte* pandenti. g) paulatimque C. h) *pro* posca pulegiata.
i) noxiis C.

2 animalia feriuntur, & in periculum veniunt. Cujus ista sunt signa: Fastidium[a] ciborum, pedes trahuntur, & cum producuntur, succumbunt ad singulos gressus, per nares defluit sanies, gravedo nascitur capitis, ita ut dejiciatur ad terram, ad surgendum vel incedendum deficiunt corporis vires.
3 Generaliter curatio ista succurrit: Locus[b], qui percussus est, ante omnia fumigandus est succensis testis ovorum gallinæ, quæ prius infundes[c] in aceto, addito etiam cornu cervino vel galbano. Post suffimentum[d] loca ipsa scarificabis, & sanguinem ex his emittis, vel certe candenti[e] ferro comburis lo-
4 ca, quæ venenata pestis attigit. Observare autem debes, ne aut supra articulos aut nervosis in locis in quacunque passione unquam cauterium imponas. Adustis enim nervis vel articulis, perpetua debilitas consequetur. Sed diligenter considera, ut aut superius aut inferius pusillum, quam nervi aut articuli sunt, cum necessitas fuerit, apponas cauteria.
5 Animal autem, quod venenata bestiola tetigerit, expedit ut sudet, & calidis[f] coopertoriis involutum deambulet, & farinam hordeaceam in cibo sumat, additis frondibus fraxineis & vitibus albis. In plaga autem mel Atticum vel cyminum in vino veteri mix-

a) fastidiunt cibum C. b) Locum — fumigabis C. c) infunderes C. *forte* infuderis. d) fomentum *Edd.* e) cauterio inures C. f) sagis *ins.* C.

mixtum, calefactum oportet imponi. Nonnulli stercus ſuillum recens & mel[a] Atticum cum vino miſcent, & calefactum quaſi cataplaſma inducunt, addentes urinam humanam.

Si bupreſtem comederit animal in fœno.

LXXVIII. Equus ſi bupreſtem comederit in fœno vel in pabulo, hæc ſigna ſtatim ſequuntur: Venter ei inflatur, a cibis reſilit, & ſtercora minutatim & frequenter reddit; qui ſtatim ſternendus eſt & cogendus ad curſum. Poſt ei vena tangenda eſt de palato leviter, ut ſanguinem ſuum defluentem transglutiat, aſſidue deambulet, triticum cum paſſo infuſum, & porros adferes[b] ad cibandum. Vinum autem tepefactum cum uva paſſa diligenter contritum ad cornu dabis eidem in potu.

Si vipera percuſſerit animal.

LXXIX. Vipera ſi momorderit jumentum, ex morſu ejus pus conſuevit exire. Nam ſi prægnans erit, totum rumpitur corpus. Ad morſum tamen viperæ, vel phalangii, aut muris aranei, commune remedium eſt, terram formicarum cum vino miſcere & dare per fauces. Vel certe de ipſa terra frequentiſſime vulnera[c] confricare. Ad quas cauſas

a) melanteum C. *ſomniavit forte* melanthium.
b) offeres C. c) vulvam *Edd. inepte.*

2 etiam terra talparum creditur posse prodesse. Quod si in itinere aut in locis, ubi desit copia fomentorum[a], necessitas ipsa contingit, piperis[b] grana triginta cum sextario vini veteris tepefacto faucibus degeres: & herbam thymum tritam cum vino si dederis, prodesse creditur. Morsus viperæ vel cujuscunque serpentis ostenditur, si humor putidus
3 de plaga incipit currere. Præsens remedium est, si hædum, vel gallum, vel agnum in recenti occideris, & calentes pulmones ejus cum sanguine, vel corde, vel jecore vulneri apposueris, diligenterque constrinxeris, ut omne virus educat: daturus continuo potionem: acori Pontici semiunciam tritam cum vini veteris sextario, salis triti heminam pariter misces, & tepefactum faucibus degeris.
4 Si perseverat tumor, vitem albam silvestrem copiose comburito, & ex cineribus ejus lixivium facito, & in potionem triduo[c] ad unum sextarium dato. Cinerem quoque ipsum cum aceto in modum cataplasmatis vulneri imponito. Si nihil profecerit, cauteriis urito, usta solenniter curato. Farinam quoque hordeaceam cum vino & sale, oleoque decoctam in cicatricem oportet imponi[d].

a) pigmentorum C. *b. e. medicamentorum.* b) triti *ins.* C.
c) per diem C. d) usque dum sanus sit *addit* S.

Si araneum comederit.

LXXX. Jumentum si in pabulo araneum comederit, hæc erunt signa: Totum corpus tumebit, sed circa auriculas, & oculos, & nares inflatio cum indignatione major apparet. Cui hac ratione subvenis: De palato sanguinem tolles, eumque exceptum cum sextario aceti & hemina salis miscebis, & circa plagam vel loca tumentia perunges, diligenterque operies, ut sudet. Hac ratione sanabitur.

Si phalangius percusserit animal.

LXXXI. Si phalangius jumentum percusserit, his apparebit[a] indiciis: Stat ei veretrum præ dolore, & videbis velle mingere. Cui ista ratione subvenies: Piperis unciam unam, pyrethri[b] unciam, uvæ silvaticæ unciam, terito, & cum vino veteri per fauces dato.

De mure araneo.

LXXXII. Mus araneus pestis[c] venenata, & tam equis quam bobus noxia: atque ideo, cum captus fuerit, mersus necabitur in oleo, ibique in putredinem vertitur, ex quo medicamento, cum animal

a) agnoscetur signis C. b) piretri *omn.* c) est *ins.* C.

mordetur, plaga linitur & curatur animal. Vel si inventus non fuerit, cyminum tritum cum pice liquida axungiaque miscetur, ad spissitudinem malagmatis coquitur, impositumque a periculo liberat
2 & sanat. Quod si in suppurationem fuerit plaga conversa, lamina ferrea candenti aperienda est, & quidquid vitiosum est, inurendum, atque ita pice liquida vel oleo curandum[a]. Ne autem mus araneus animal mordeat, ipsum animal vivum de creta circumdabitur, quæ cum induraverit, suspenditur in collum, & non contingetur a morsu: certissimum est. Adversus morsum comprobatur allium tritum cum nitro, & si nitrum defuerit, cum sale & cymino permiscere, atque ex eo pulvere loca, quæ
3 morsu contacta sunt, confricare. Quod si[b] eruperint vulnera venenata, hordeum combustum in pulverem rediges, & diluto aceto vulneri insperges, & hac ratione sola curabis: daturus potionem, pollinem tritici, hordeum, cedriam, & vini sextarium per fauces degeres. Quod si prægnans mus araneus fuerit, qui percusserit, his agnoscitur signis: Pustulæ per totum corpus exeunt, sed simili, ut supra scriptum est, ratione curabitur.

a) percurandum C. b) ei *ins.* C.

Ad ictum ſcorpionis.

LXXXIII. Scorpius ſi jumentum percuſſerit, his agnoſcitur ſignis: Genua contrahuntur, claudicat, non manducat, de naribus fluent pituitæ virides, ut accumbit vix reſurget. Simili ratione curatur ſicut ſerpentis ac viperæ morſus: ſtercus tamen aſininum velocius [a] in plagam oportet imponi.

De canis rabidi morſu.

LXXXIV. Canis rabioſi [b] morſus & jumentis & hominibus exitium inferre conſuevit, uſque eo, ut ipſos, qui contacti fuerint, hydrophobos faciat & convertat in rabiem. Qui hac ratione curantur: Locus, qui morſus eſt, ferreis, vel quod utilius eſt, caprinis cauteriis urito, in loco tenebroſo eum conſtituito. Sic etiam eum adligabis in tenebris, ne [c] aquam videat. Quod ſi canem ipſum occidere poteris, jecur ejus decoctum dabis ad manducandum, vel detritum faucibus degeres. Fœni quoque flores 2 combures, & cum axungia veteri deteres, & ad morſum appones: ſalutare remedium eſt. Sed ſpecialiter prodeſt, ſi radicem cynorhodon, id eſt, herbæ, quæ appellatur [d] roſa canina, effoderis, & lotam prius atque contuſam diligenter, ſive homi-

a) vel lotium in ipſam pl. C. b) rabidi C. c) & ſic ipſum pota, ut aquam non videat S. M. d) vocatur C.

ni sive animali, quod rabiosus canis momorderit, in plaga apposueris, contritamque cum vino veteri propinaveris quotidie ad bibendum. Hac enim sola ratione nec hydrophobus fiet, & imminens discrimen evadet.
3 Canis rabidi morsibus subvenit, si tres scrup. nitri, Judaici bituminis scrupulum unum, tritum cum hemina vini veteris tepentis triduo per os degeras. Sambuci quoque grana vel succum de foliis aut de cortice exprimes, & cum vino veteri dabis in potu. Sed tunc efficax est hæc potio, si de eo sambuco dederis, quod non in terra, sed in alia arbore fuerit innatum.

Si animal comederit stercus gallinarum.

LXXXV. Si fimum gallinarum[a] animal in hordeo comederit, vel fœno sumpserit, quasi a venenatis bestiis percussum cruciatur continuo, internorum dolor & inflatio subsequitur, ad similitudinem quoque[b] strophi & volutatio ac tussis asperrima.
2 Adversus quam necessitatem, apii seminis deteris uncias duas, & cum vini veteris sextario & hemina mellis temperas, & per os defundes, & tam diu deambulare compelles, donec potio ventrem moveat.
3 Quod si nimius[c] dolor etiam obroboratio fuerit subsecuta, baccarum lauri libram, nitri selibram, aceti

a) gallinaceum C. b) strophi sudor quoque S. M. C.
c) nimio dolore C.

sextarios duos, olei sextarium, diligenter trita permisces, & ad focum calefacies, & in loco calido[a] per triduum unges, & contra pilum diligenter fricabis, certissimum daturus ex sudore remedium. Adversus hujusmodi casum physicum remedium ex- 4
perimenta docuerunt: Pullum[b] si occideris vel gallinam, ventremque ejus crudum, & adhuc calentem cum stercore suo equo vel mulo involutum melle digerere per fauces. Optimum creditur: Tres 5
pilulas gypsi cum vino veteri deterere, & tepidum per os dare, eadem optime sanare firmatur. Lixivium quoque de arbore ulmi, vel cujuscunque generis ligni cinerem, dummodo bene cretum[c], cum oleo miscere, ac liquidum & tepidum defundere per fauces[d], physicum & salutare laudatur.

a) animal *ins.* S. b) Pullum vel gallinam occidere C. c) tritum C. d) tanquam *ins.* C.

Digitized by Google

VEGETII RENATI

ARTIS VETERINARIÆ

SIVE

MULOMEDICINÆ

LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM.

I. De numero & positione ossium. II. De numero & qualitate membrorum. III. De numero & qualitate nervorum. IV. De qualitate venarum. V. De indiciis & ætate equorum. VI. De signis quibus agnoscitur patria. VII. De temporibus vitæ. VIII. Potio ad reficiendum jumenta, & diapente. IX. Ad tussim & vulsos. X. Ad cossos, vermes vel tineas. XI. Adversum omnia genera morborum. XII. Confectio suffimentorum salutaris. XIII. Confectio pulveris quadrigarii. XIV. Compositio caustici. XV. Compositio malagmæ. XVI. Compositio collyrii fistularis. XVII. Compositio malagmæ cru-

dæ. XVIII. *Compositio syncrismæ*. XIX. *Compositio traumatici*. XX. *Compositio malagmæ basilicæ*. XXI. *Alia compositio malagmæ*. XXII. *Compositio prima anacollimatis*. XXIII. *Compositio alia malagmæ crudæ*. XXIV. *Compositio malagmæ ad uligines*. XXV. *Compositio malagmæ ad nervos*. XXVI. *Compositio traumatici*. XXVII. *Compositio collyriorum*.

SEQUUNTUR MEDICAMENTORUM GENERA QUÆDAM, AD FINEM QUARTI LIBRI ADJECTA.

Cephalicum emplastrum ad claudenda vulnera. -- *Medicamentum consuetum*. -- *Chlura medicamentum ad vulnera limpidanda*. -- *De tetrapharmaco ad vulnera claudenda*. -- *Glicium ad vulnera sordida & cancrosa*. -- *De ossoclari, ad omnia ossicula*. -- *De styptico, ad vulnera humecta*. -- *Medicamentum ad omnia vulnera claudenda*. -- *Impleстoricum, ad cava supplenda*. -- *Ad oculorum rupturas, & glaucomata*. -- *De syncrisma aliud*. -- *De Lippariis*. -- *Traumatici compositiones variæ, ad varia*. -- *Caustici compositiones aliæ, ad diversa*. -- *De malagmatis quibusdam*. -- *Emplastrum quoddam*. -- *De ceroto*. -- *Fomentum ad tumores, vel quamlibet duritiam*. -- *Potio hiemalis*. -- *Potio æstivalis*.

PRÆFATIO.

SOLENNIS excusatio negligentium est, dispendia ex dissimulatione venientia Deo imputare vel casibus. Minus namque peccare se credit ignavia, si id, quod ipsius culpa accidit, ad potestatem in-
2 cipiat deferre fortunæ. Sic de ægrotantibus dicitur morituros, & si medicina cesset, evadit. Cui disputationi, quia non solum iners, sed etiam impia est,
3 non libenter assenserim. Malo enim nihil expertum relinqui, quam si quid calamitatis evenerit, avaritiæ vel dissimulationibus imputari. Sed fortasse aliquando vera (illa) videantur in homine, qui divina providentia ac dispositione fatorum [a] creditur regi.
4 Animalia vero, cum quibus divinitas nihil dignatur habere commune, nisi hominum studio impensisque curentur, absque ambiguitate depereunt. Quid enim jumentis spei superest, quæ divinitas fovere re-
5 spuit, si hominum medela cessaverit? Sæpe accidit, ut neglectis animalibus, quæ primo cum perirent morbo, contactu crescens pestilentia greges integros perimat, quum [b] polluta a languidis pascua & infectique fontes, ita nocent [c], quasi in venena ver-
6 tantur. Postremo ægroti odor cum sanorum imple-

a) *Ita recte* Fabricius *pro* factorum. b) *Ita recte* Fabr. *pro* quam. c) *Necessaria mutatio* Fabr. *ex* nocet.

verit nares, ipso fœtore visceribus inseret morbos. Sic ad pullos mors a matribus corrupto lacte transmigrat. Sic in numerosis stabulis quamvis vile ju- 7
mentum, si contagiosam semel susceperit passionem, veloci transitu pretiosa quoque jumenta consumet. Sed adversum omnia diligentia, studium, herbarum potestas, curandi scientia, prodesse consuevit. Si- 8
cuti medicorum prima doctrina est humani corporis partes organorumque[a] cognoscere, ita necessarium Mulo medicis, de ossibus, de nervis ac venis jumentorum universa perdiscere. Neque enim curare rationabiliter potest, qui qualitatem rei, quam curat, ignorat.

De numero & positione ossium.

Cap. I. JUmentum igitur habet in capite ossa duo, a fronte usque ad nares alia duo, maxillaria inferiora duo, dentes quadraginta, id est, molares quatuor & viginti, caninos quatuor, rapaces duodecim. In cervice autem sunt spondyli[b] septem[c], spatulæ renum sunt octo: a renibus usque ad anum septem, muscarium habet commissuras duodecim. In armis prioribus sunt ragulæ[d] duæ; ab armis usque ad bra-

a) *Sic* Fabr. *pro* organumque, *quod nec ipsum plane damnaverit* Gesn. b) spondili *Edd.* c) sex, spat. & ren. *Vid. leg.* a spatula ad renes. d) regulæ S. M.

2 chiola duo. A brachiolis usque ad genua duo. In genibus parastaticæ duæ: a tibia usque ad articulos duo. Bases quæ appellantur, numero duæ. Usque ad pumices ungulæ ossa minuta sedecim, in pectore unum: costæ tamen in interioribus triginta sex. Item a posterioribus a cumulari[a] usque ad molaria duo; a molaribus usque ad vertebras duo, costales duo. Ab acrocolefio usque ad gambam duo; a gamba usque ad cirros tibiales duo; minuta usque ad ungulas sedecim. Et sunt ossa omnia centum septuaginta.

De numero & qualitate membrorum.

II. Nunc mensuras numerumque membrorum oportet exponi. In palato gradus sunt duodecim. Longitudo linguæ habet pedem semis: labrum superius habet uncias sex, inferius uncias quinque; maxillæ singulæ uncias denas: a cirro frontis ad nares habet pedem: auriculæ singulæ continet uncias senas. In oculis autem singulis[b] unciæ quaternæ: a cirro, ubi desinit cervix, usque ad Mercurium[c]
2 continentur calculi[d] octo. Spina continet subter[e] spatulas triginta duas: a commissura renum (quod cumulare dicitur) usque ad imum muscarium[f] com-

a) a columellari F. M. S. M. b) sunt *ins.* C. c) musculum S. M. d) subtus arteriæ duæ *id.* e) ac supra *ins.* C. f) musculum S. M.

missuræ sunt duodecim. Sagulæ[a] longicia uncias duodecim; ab armis usque ad brachiolum uncias sex, a brachiolis usque ad genua longitudo continet pedem: ab articulis usque ad ungulas uncias quatuor; in longitudinem vel prolixitatem pedes sex. Hæc eumetria[b] equi convenit staturæ honestæ ac mediæ. Cæterum non dubitatur in buricis minora ista, & in primæ formæ equis esse majora.

De numero & qualitate nervorum.

III. Nervorum quoque numerus, qualitas, ac mensura pandenda est. A mediis naribus per caput, cervicem, ac mediam spinam, usque ad imum muscarium[c] descendit filum duplex, quod continet pedes duodecim: duo[d] nervi in cervice palmarii continent pedes quatuor: ab armis usque ad geniculum nervi duo: a geniculo usque ad basin nervi quatuor. In prioribus sunt nervi decem, in posterioribus decem: a renibus usque ad testes nervi quatuor: fiunt in se omnes nervi triginta quatuor.

De qualitate venarum.

IV. Consequenter venarum quoque indicandus est numerus. In palato venæ sunt duæ[e] subocula-

a) ragulæ longitia C. ragiolæ longitudo S. M. b) geometria S. M. c) ancarum S. M. d) a cervice usque in armos vadit aliud, quod est pedes IIII. S. M. e) temporales II *ins.* S. & C.

res duæ[a], in pectore duæ, de brachiolis duæ, de[b] sub cirris quatuor, de talis duæ, de coronis quatuor, de feminibus quatuor, de femoribus vero duæ, de sub gambis duæ, de[c] muscario una, venæ[d] matricis in cervicibus duæ: fiunt pariter venæ undetriginta.

De indiciis & ætate equorum.

V. Ætatem jumentorum ex dentibus aliisque signis oportet agnosci, ne vel ementes imperitiæ[e] subeamus incommodum, vel curantes ægrotantis[f] ignoremus ætatem. Quia sicut hominibus, ita & equis, aliud convenit, cum[g] jumenta sunt fervida,
2 aliud cum senectute jam frigida. Manifestum est autem notas corporis[h] cum ætate mutari. Pullis enim bimis & sex mensium, medii dentes superiores cadunt, quos lactantes[i] vocant: cum autem quartum annum agere cœperint, decidentibus his, qui
3 canini appellantur, alios supponent. Deinde intra sextum annum molares cadunt. Sexto anno quos primo mutavit[k], exæquat. Septimo omnes explentur æqua-

a) in naribus II, in cervicibus II *inſ.* C. b) de sub cruris S. M. c) in cristario *inſ.* S. d) & sunt omnes XXXII.
e) per imperitiam S. M. f) ægrotis animalibus C. g) cum sunt fervidi C. cum vividi & ferventes sunt S. M. & *mox* frigidi *iidem*. h) ætatis cum corpore *conj.* Morg. III, 42 *ex* Colum. i) lactentes *malit* Gesn. k) mutaverunt, exæquant *conj.* Morg. III, 42 *ex* Colum.

liter, & ex eo cavatos habere incipiunt dentes, nec[a] postea quot annorum sint, sciri ad fidem potest, nisi signis aliis, quæ usus edocuit. Decimo namque anno tempora cavari incipiunt, & supercilia nonnunquam canescere. Duodecimo anno nigredo in medietate dentium apparet. Plerique adserunt, domitis & 4
freno assuetis animalibus rugas, quæ in labris sunt superioribus computandas, ita ut ab angulo, ubi incipit morsus, incipientes, usque ad extremum labrum perveniamus: quia annorum numerum, rugarum numerus ostendit. Postremo rugarum multitudine, tristitia frontis, dejectione cervicis, pigritia totius corporis, stupore oculorum, palpebrarumque calvicie senectus ipsa se prodit.

De signis, quibus agnoscitur patria.

VI. In permutandis equis vel distrahendis, maximam fraudem patriæ solet afferre mendacium. Volentes enim carius vendere, generosissimos fingunt. Quæ res nos compulit, qui per tam diversas & longinquas peregrinationes equorum genera universa cognoscimus, & in nostris stabulis sæpe nutrivimus, uniuscujusque nationis explicare signa vel merita. Nam ut viliora ministeria taceamus, 2
equos[b] tribus usibus vel maxime necessarios constat,

a) postea vero — scire — nullus S. M. b) *præter* S. M. & C. equestribus *al.*

prœliis, circo[a], sellis. Ad bellum Hunniscorum[b] longe primo docetur utilitas patientiæ, laboris, frigo-
3 ris, famis. Toringos deinde & Burgundiones[c] injuriæ tolerantes. Tertio loco Frigiscos[d], non minus velocitate, quam continuatione cursus invictos. Postea Epirotas, Samaricos[e], ac Dalmatas, licet contumaces ad frena, habiles[f] armis (ac bellis) asseve-
4 rant. Curribus Cappadocum gloriosa nobilitas: Hispanorum par vel proxima in circo creditur palma. Nec inferiores prope Sicilia exhibet circo, quamvis Africa Hispani sanguinis velocissimos præstare consueverit. Ad usum sellæ Persis provinciis omnibus meliores præstat equos, patrimoniorum censibus æstimatos, tam[g] ad vehendum molles, & pios[h] incessibus, nobilitate pretiosos: sequuntur Armeni atque Saphareni[i], in qua[k] nec Epirotas Siculosque despexeris si mores, ac pulchritudo non deserat.
5 Hunniscis grande & aduncum caput, extantes oculi, angustæ nares, latæ maxillæ, robusta cervix & rigida, jubæ ultra genua pendentes, majores costæ, incurva spina, cauda silvosa, validissimæ tibiæ,

parvæ

a) circeis *al.* b) Volscorum S. M. c) Burgundios S. M.
d) Phrygios*ne an* Frisios *intelligimus*, *an neutros*? Phrygios *laudat* Claudian. 29, 192. e) Zelameros S. M. *an* Sarmaticos? f) ac viles, armis *Edd. Putat* Gesn. *τὸ* habiles *dupliciter corruptam in* ac viles, & *in* ac bellis.
g) tamen S. M. h) impigros incessu C. i) Suffumeni S. M. Sofoeni C. *quid si* Sophieni? k) parte *ins.* C.

parvæ bases, plenæ ac diffusæ ungulæ: ilia cavata, totumque corpus angulosum, nulla in clunibus arvina, nulli in musculis tori, in longitudine magis, quam in altitudine statura, propensior venter exhaustus, ossa grandia, macies grata, & quibus pulchritudinem præstet ipsa deformitas: animus moderatus & prudens, & vulnerum patiens. Persis & 6
statura & positio [a] a cæteris equorum generibus non plurimum differt, sed solius ambulaturæ quadam gratia discernuntur a cæteris: gradus est minutus & [b] creber, & qui sedentem delectet & erigat, nec arte doceatur, sed naturæ veluti jure præstetur. In- 7
ter colatorios enim, & eos quos totonarios [c] vulgus appellat, ambulatura eorum media est, & cum neutris [d] sint similes, habere aliquid creduntur ab utrisque commune. His sicut probatum est, in bre- 8
vi amplius [e] gratiæ, in prolixo itinere sævior [f] patientia, animus superbus, & nisi labore subjugetur [g] assiduo, adversum equitem contumax: mens tamen prudens, & quod mirum est, in tanto fervore cautissime decoris est observantior, incurvata in arcum cervix, ut mentum recumbere videatur in pectore.

a) *Ita ausus est reponere* Gesn. *b. s.* Statura & positio equis. Persis *s. Persicis* non differt &c. positione *Edd.* positionem C. *Poteras etiam ita*, Perslci & statura — differunt.
b) celer C. c) totularios C. Vid. *not. ad* Veg. 1, 56, 37.
d) *Sic* C. neutri *al.* e) amplior gratia C. f) *quid si* levior, *vel* brevior? minor S.M. g) subjugatus, assidue *Edd.*

De temporibus vitæ.

VII. Ætas longæva Persis, Hunniscis[a], Epirotis, ac Siculis; brevior Hispanis ac Numidis. Frequens opinio est, Barbaricis nulla adhibenda medicamina, quod usque adeo naturæ beneficio ægroti convalescant, ut eis nocitura sit cura. Sed falsa erat ista persuasio. Nam quanto fortiora membra sunt, tanto diutius vivunt, si ex arte[b] veniens medela
2 non desit. Spadonibus tamen inter auctores constitit sanguinem de matrice nunquam nisi forte ex nimia & extrema necessitate, tollendum: propterea quod caloris maximam partem cum testibus amiserunt. De palato tamen, si non impediat negligentia, omnibus prope mensibus tam spadonibus, quam
3 testiculatis, minuendus est sanguis. Admissarii vero si cohibeantur a venere, nisi[c] dematricati[d] fuerint, cæcari sæpe dicuntur: quamvis eo anno, quo admissum faciunt, non sit eis vena laxanda, ne generationis intentum corpus cura[e] geminæ necessitatis exhauriat. Studiosis equorum quæ cura stabuli, qui alimentorum cultus, quæ observationis sollicitudo præstanda sit, primus ac secundus indicat li-
4 ber. Nunc decursis omnibus his, quæ hujus artis

a) Hunnicis *Edd.* b) ex aere venientibus *Edd.* ex arte vehemens S. M. c) ubi *al. pro lectione recepta pugnat* Veg. 1, 24. d) de matrice minuti S. M. e) ex minutione deficiat S. M.

doctrina poscebat[a], ad compositiones necessariarum potionum medicamentorumque descendimus, in quibus & explorata congessimus, & ea, quæ non tam ad utilitatem curandi, quam ob caritatem emendi mulo medicorum cupiditas inflaverat, submovimus. Constat namque, non tam multis neque pretiosis speciebus, sed paucis, & ad causam, de qua agitur, accommodis posse sanari. Primum igitur ut pinguia sint jumenta tam in curulibus[b] quam in sellaribus, decet, deinde ut sana permaneant, post ut ægrota curentur, confectiones (ut dictum est) medicaminum proferemus electas ex auctoribus multis, de experimentis manifestissimis approbatas.

Potio ad reficienda jumenta, & diapente.

VIII. Traditur Chiron ad reficienda jumenta vel curanda, hanc edidisse potionem, quæ internos extergeat morbos, quæ tussim reprimat, vulsos ac[c] tussicos curet. Ptisanæ sextarium, lini seminis heminam, croci unciam unam, intestinum porcinum recens, quod longanonem vocant, prius diligenter lotum, vel acronem: quæ si in præsentia forte non suppetunt, hædinum caput cum pedibus[d] & intestinis ac ventre, & diligenter quasi ad hominum usus

a) possidet *Edd.* b) currilibus *Edd.* cursibus quam in saltibus S. M. c) lactesycos C. *credit* Gesn. phthisicos *hic latere*. d) suis *ins.* C.

2 curatum, in cacabum[a] mittis: addes superioribus hyssopi fasces duos, cochleas germanas purgatas quindecim, bulbos quindecim, ficus duplices viginti, rutæ fasciculum unum, baccarum lauri sextarium unum tritum, dactylos viginti, allii purgati capita tria, sepi caprini uncias sex, pulegii sicci
3 fasciculum. Quæ omnia trita decoquis in aqua cisternina vel cœlesti, donec liquefacta carne defluant ossa: sed aquam sæpius adjicies, ne medicamentum
4 ustura constringat. Sed cum spissum videris, colabis, abjectisque excrementis & ossibus[b], tracanti uncias tres pridie calida infusas, ut inturgescat & solvi possit, adjicies, passi sextarios tres, ova cruda sex, olei rosacii ova plena sex, butyri resoluti uncias tres, anagallici[c] uncias tres, amyli uncias tres, pulveris quadrigarii uncias tres, lomenti fabæ
5 (id est, farinæ) sextarium. Hæc omnia ita temperabis, ut per cornu defluant, & sextarios singulos jejunis animalibus per triduum dabis: & si volueris septem diebus interpositis repetis, & das a
6 capite potionem. Jumenta a morbis vindicat & custodit: Gentianæ, aristologiæ rotundæ, myrrhæ troglodytis, rasuræ eboris, & baccarum lauri æquis ponderibus pulvis immixtus, ex quo grande cochleare plenum sumis. Addes hyssopi triti scripulos

a) novum *ins.* C. b) addes *ins.* C. c) symphyti triti S. M.

Digitized by Google

quatuor, mellis vel passi uncias tres, vini sexta-
rium, gisni resoluti pastillum unum, post cursum
sive post laborem conditi bene piperati[a] heminam
adjicies, æstate roris[b] vel absinthii tantundem, &
per os dabis ad cornu. Si æstu animal fatigatur, 7
puscam[c] cum pulegio trito misces, naresque & fa-
ciem confovebis: ova quoque trita cum heminà vi-
ni veteris optimi faucibus infundes, ut per ovi re-
frigerium vini virtus àccrescat. Maciem languorem-
que depellit, si semiunciam sulphuris cum myrrhæ
scripulis quatuor in pulverem resolutis ovum cru-
dum & vini veteris sextarius addatur, frequenter-
que per fauces detur: Diapente[d] est (ut supra re- 8
tulimus) necessarium pluribus[e] causis ac morbis, &
semper diligenti confectione servandum. Gentianæ,
aristolochiæ rotundæ, myrrhæ, rasuræ eboris, &
baccarum lauri, de recentibus speciebus in unum
redactis minutissimis pulvis, ex hoc febrientibus ple-
num cochleare cum tribus unciis mellis, & aquæ
tepidæ sextario, in qua radices junci, & apium suf-
ficiens decoctum fuerit, per os dabis, ita ut triduo
similiter[f] cura procedat. Idem pulvis si ultra co- 9
chlearium cum sextario vini veteris, & olei viridis
hemina detur, animal a quibuslibet venenis, vel

a) præparati F. M. S. M. b) rosæ sive C. olei rosati S. M.
c) *pro* poscam. d) *sic* C. diapenton *al.* e) plurimis C.
f) similis C.

serpentum aut bestiolarum morsibus liberat. Cui si piperis atque pulegii, nec non etiam cymini pulveris, aliud cochleare addideris, & cum vini veteris sextario dederis, omne frigus expellit.

Ad tussim & vulsos.

IX. Tussim quoque insanabilem cura cum hemi-
na passi, & tribus unciis olei & ovo crudo, si per
triduum defundis faucibus, addito fabæ polline, &
fœni Græci binis cochlearibus. Præterea valde tus-
sientibus prodest, fabæ frixæ sextarius sine sale
coctus, sepi caprini unciæ tres, butyri unc. 3, allii
purgati capita tria decocta cum succo ptisanæ, da-
2 ta per triduum. Quo medicamento validius credi-
tur: Ficus siccæ pondera duo, fœni Græci sexta-
rium, tracanti unciam, pridie in[a] calida infusa,
anagallici[b] unciam, rutæ viridis fasciculum, apii fa-
sciculos tres, pariter in aqua diutissime decoques,
3 & faucibus per triduum defundes[c]. Curare etiam
vulsos creditur, si septem uncias cineris mundissi-
mi[d] colligas, addasque[e] olei uncias tres, bulbos tri-
tos septem, anagallici unciam, butyri unciam, sepi
caprini unciam, mellis uncias tres, plantaginis vi-
ridis tritæ uncias tres, passi heminam, ptisanæ vel
lini seminis heminam: quæ ita temperata, ut per

a) in *videtur abundare*. b) symphyti S. M. c) dabis C.
d) ex ulmis *ins.* S. ex ulmo *præponit* C. e) eo *ins.* C.

cornu defluant, per triduum, vel ut necessitas cogit per plures dies, jejunis singulos sextarios dabis. Desperatam tussim sæpe curavit potio vilis 4
ac facilis: Pulveris ex faba uncias sex, pulveris ex fœno Græco uncias sex, enulæ tunsæ siccæ pulveris uncias sex, pulveris anagallici[a] tunsi uncias tres, butyri uncias sex: quæ omnia cum tribus boni vini sextariis additoque passi sextario uno semis, pariter agitabis, & uni equo jejuno ante lucem bina cornua per os dabis[b], donec omnem ebibat potionem.
Curam quoque non parum profuisse experimenta 5
docuerunt, hac ratione compositam: Fabæ frixæ sextarium sine sale decoques, addesque[c] sepi hircini resoluti uncias tres, butyri uncias quinque: in mortario deteres universa. Præterea fœni Græci sex- 6
tarium bene purgatum fervere facies, primamque aquam inter initia fervoris effundes, addesque aquæ sextarios quinque, pinguissimas Caricas viginti, & liquiritiæ[d] uncias quatuor, pariter decoquas, donec aqua ad tres sextarios redigatur: tunc in mortario deteris fœnum Græcum, liquiritiam & Caricas, miscesque cum faba, superfundis etiam calidam, in qua Caricæ cum cæteris coctæ sunt: contemperatisque[e]
omnibus, si liquor spissior fuerit, tantum passi ad- 7
des, ut per cornu facile possit exire: diebus plu-

a) siccati & *ins.* C. b) defundes C. c) eo *ins.* C. d) lyricigiæ C. *verum est* glycyrrhizæ. e) comparatisque *al.*

Digitized by Google

rimis ex eo per os singulos sextarios tussientibus dabis.

Ad cossos, vermes, vel tineas.

X. Cossos, vermes, vel tineas, cæteraque animalia ventris extinguit, si heminam cineris ex olivæ ligno arido collecti cum hemina olei viridis per
2 triduum dabis ad cornu. Alia quoque confectio,
sed quæ sæpe mortiferam liberat passionem: Pulveris santonici, itemque absinthii Pontici, nec non lupini crudi, & herbæ centaureæ, & ervi pollinis, & seminis raphani binas uncias mittis, addisque cornu cervini unciam[a], sinopidis Pontici[b] pastillos tres, opopanacis semiunciam, vini tenetani vel alterius austeri sextarios duos, olei viridis sextarium, quæ tepefacta ita animali defundis, ut per os cornu accipiat, in clivo[c] constitutum, quatenus succus faci-
3 lius ad interiora perveniat. Postero die idem animal pronum constituatur in clivo, & per clisterem[d] illius tepidæ potionis sextarius ingeratur, quatenus alternis diebus ex utraque parte injecta potio coagulare[e], quod appellatur, possit infundere, in quo illæ noxiæ bestiolæ coguntur, & pertuso ventriculo
4 excruciata doloribus animalia perimunt[f]. Est & ter-

a) opii sem. *ins.* C. apii seminis unciam *ins.* S. b) *pro* Ponticæ. c) declivi S. M. d) intestino *ins.* S. e) longanonem S. M. *quæ glossa est non accurata.* f) pereunt *al.*

tia confectio non minus valida: Radicis capparis Siculi, vel baccas[a] cum foliis ad unam libram deteris, pariterque commisces, addisque[b] aceti sextarios duos. Quod medicamentum interdum per os (sicut superius dictum est) interdum per intestinum injicis animali, ut internos hostes potionis austeritate consumas.

Adversum omnia genera morborum.

XI. Adversum omnia genera morborum salutaris confectio præparanda est, ut inter ipsa initia ex conditis possit occurri. Cassa[c] est enim medicina, quæ sera est. Myrrhæ[d] libram, thuris masculi libram, mali Punici corii tunsi libram, piperis uncias tres, croci uncias tres, acaciæ rufæ selibram, Cadmiæ[e] botryodis selibram, resinæ ustæ selibram, absinthii Pontici selibram, pulveris serpylli selibram, 2
betonicæ selibram, centaureæ selibram, sagapeni selibram, saxifragæ selibram, peucedani selibram: quæ omnia bene tunsa & cribrata in mellis optimi tribus sextariis misces, & ad carbones leniter[f] paulu-

a) lauri *ins.* C. b) sextarium vini, capparis heminam, & seminis erucæ, tere simul, misce addens aceti H-S. *ins.* S.
c) Causa enim medicinæ quærenda est *al.* Causa est enim med. quæ servanda est C. d) troclitis *ins.* C. *h. e.* troglitis vel troglodytidis. e) cathimiæ butrotis F.S. & *in marg.* Casmiæ. Casimiæ botriti C. *Nostra lectio debetur ingenio* Cl. Morg. IV, 48. & *viderat* Gesn. *ita legendum* 2, 22, 6.
f) leviter *Edd.*

lum coquis, post in vase stagneo vel vitreo condita servas, ex qua confectione morbidis[a] si febriunt, ad diem singula cochlearia majora cumulata cum hemina aquæ tepidæ, & olei floris tribus unciis dabis. Quod si absque febre sunt morbidi, vel convalescere jam cœperint, cum vino & oleo plurimis diebus dabis, donec animal liberetur, quam validissimam & approbatam noveris potionem.

Confectio suffimentorum salutaris.

XII. Suffimentorum compositio fascinum pellit, lustrat animal, fugat dæmones, submovet morbos. Odor namque fumi ac spiritus per os ac nares ingrediens, penetrat ad viscerum[b] omnes recessus, ac curat sæpius loca, quæ potiones non potuerunt curare[c]. Etiam in hominibus suffimentorum vapor
2 præcipue sequitur. Denique desperatos & periculosissimos morbos auctores mulo medicinæ adserunt, non ex pabulo aut aquarum vitio, sed aeris corruptione descendere. Et ideo facilius languorem, quem pestilens morbus ingessit, suffimenti salubris hujus
3 curat afflatus. At talis compositio suffimentorum: Sulphuris vivi libram, bituminis Judaici libram, opopanacis unciam, galbani selibram, castorei seli-

a) animalibus si etiam C. etiam *ins.* S. b) ulcerum *al.*
c) nec tangere *ins.* S. M.

bram, ciceris[a] crudi selibram, albitis selibram, salis Ammoniaci uncias tres, rasuræ cornu cervini uncias tres, sinopidis[b] uncias tres, gagatis fœminæ uncias tres, lapidis gagatis uncias tres, lapidis ematitis[c] unciam unam, lapidis sideritis unciam unam, lapidis argyritis unciam unam, caballiones marinos septem, stellas marinas quatuor, pilas[d] marinas septem, crudas marinas septem, ungues marinos septem, uvæ marinæ uncias tres, medullæ tedæ pineæ pondera tria, cedriæ pondera tria, picis liquidæ pondera tria, ossa sepiæ septem: hæc siccata 4
pariter deteruntur atque miscentur: ex quibus unum cochleare, cum opus fuerit, vivis carbonibus aspergis, & cooperto capite, ut fumum per os naresque suscipiat, animal suffis. Quod suffimentum, præter curam jumentorum, sanat incurrentes[e] hominum passiones, grandinemque depellit, dæmones abigit[f] & larvas.

Confectio pulveris quadrigarii.

XIII. Quadrigarium pulverem vocant, qui ex diverso pigmentorum genere mixtus & per se adjuvat animalia, & aliis potionibus pro modo vel cura-

a) æris crudi sel., sulphuris unam, therbintinæ sel., salis S. M.
b) lapidis gagatis fœminæ & maris ana unc. tres S. M.
c) *h. e.* hæmatitis. d) pallas *al.* e) incursitantes C.
f) & umbras fugat C.

2 tione[a] miscetur. Hujus Chiron talem compositionem saluberrimam credit[b]: Tracanti pondera tria, aloes uncias sex, myrrhæ uncias sex[c], & scrup. 1, costi unciam unam, & scrup. 1, amomi[d] unciam unam, & scrup. 1, cassiæ unciam unam, & scrup., gentianæ libram unam, aristolochiæ libram, centaureæ libram, betonicæ libram[e], saxifragæ libram[f], samsuci libram, opii libram, abrotani libram, eupatorii uncias sex, cardamomi uncias sex, folii uncias tres, spicæ nardi uncias tres, spicæ Celticæ uncias sex, asari libram, dauci uncias tres, castorii uncias sex, opopanacis uncias sex, galbani uncias sex, strutii[g] uncias sex, panacis radicis uncias sex, liquiritiæ[h] uncias sex, absinthii fasces tres, succi herbæ peristerei siccæ & cribratæ uncias quinque: hæc omnia pariter conteres, & diligentissime in vase vi-
3 treo vel stagneo servabis. Pelagonius vero quadrigarii pulveris ejusmodi composuit confectionem: Cinnamomi, spicæ Syriacæ, spicæ Indicæ, croci Siculi, myrrhæ Troglodytis, scieni[i], piperis nigri, piperis longi, mannæ croci, betonicæ, casiæ nigræ[k], trissaginis, folii, nardi, lentisci, cepe Indici,

a) curæ ratione C. b) dedit C. S. M. c) septem S. M.
d) Armoniaci *Edd.* e) meliloti lib. 1 *ins.* C. f) synoanthis lib. 1. C. *b. e.* schoenuanthus. g) *pro* struthii. h) glycyrrhizæ *verum.* i) *Leg.* schoeni *jubente etiam* Morg. IV, 49. *vel* schoenuanthus, *siquidem* scinoatos C.
k) catiæ *Edd.* casiæ *vel* acaciæ Morg. l. c. *priorem tuetur* C.

nardi, storacis, acori Pontici, thuris masculi, irisillyricæ, thymi Cretici, piperis albi, calami aromatici, asari Pontici, petroselini, mannæ croci, mali terreni, gentianæ, rosæ aridæ, cassiæ fistulæ, enulæ: omnia æquis ponderibus pro modo animalium misces, conteris, cribras, in pyxide vel vitreo dolio condis, & cum opus fuerit, singula cochlearia, vel amplius, si vires[a] patiuntur, jumentis singulis dabis, addito vino & oleo. Interdum aliis potionibus misces, si ratio artis vel cura mandaverit. Absyrtus quadrigarium pulverem hac ratione 4
composuit: Folium, spica nardi, crocus, piper album, piper longum, piper nigrum, opopanacis radix, cassiæ dafnitæ[b], cassiæ marmalitis, cassia nardina, irisillyrica, apii semen, malum terræ, peucedanum, sabina, gentiana, herba rosina, thymum, myrrha, trixago, costum, thus masculum, gessemantium, malum Punicum, calamum aromaticum, rosa sicca, ruta agrestis, petroselinum, aristolochia longa, amomum, calamum Syriacum, herba Artemisia: hæc omnia pro numero animalium præparas, æquis ponderibus intermisces & tundis, cribrasque[c] & servabis, adversus passiones usurus.

a) animalium *ins.* C. b) *sic* C. nidaſantis. *Lectionem nostram aperte firmat* Diosc. 1, 12. c) cribratasque servabis, ad diversas pass. C.

Compositio caustici.

XIV. Causticum humectata siccat, laxata constringit, luxata parat[a], læsa confirmat. Hujus Chiron talem compositionem demonstrat: Bituminis Judaici pondera duo, bituminis Apollonii pondera duo, mannæ thuris uncias sex, bdellii Arabici uncias duas, medullæ cervinæ pondera duo, propoleos uncias duas, galbani uncias duas, guttæ storacis uncias duas, ceræ communis pondera duo, resinæ cavealis libram unam, visci Italici uncias tres, apochymatis[b] uncias duas, succi hyssopi uncias duas, guttæ Ammoniacæ uncias duas, picis Brutiæ[c] libram, (liquefacienda[d] liquefac, pulverem aliorum addens agita & coque, ut sit una substantia, quo uteris adversus vesicas & suffusiones, quæ nascuntur in genibus & tibiis, & nodis, & articulis: & glan-
2 dulas & ossilaginem curare creditur.) Pelagonius causticum, quod suffusiones vesicasque siccaret in genibus vel articulis, hac ratione composuit: Ceræ Punicæ libram, resinæ pondera duo & semis, galbani uncias tres, asphalti Judaici pondera duo, myrrhæ secundariæ pondera duo, bituminis libram, Am-
3 moniaci uncias sex, costi uncias sex. Verum cætera

a) reparat C. *idem conjecerat* Cl. Morg. IV, 50. b) apoxima *Edd.* apocima C. M. c) brittiæ C. britiæ *al.* Gesnerus *sequitur rationem &* Morg. IV, 64. d) *inclusa ins.* S. M.

decoquis in cacabo fictili novo, qui cum refrixerit,
addis asphaltum & Ammoniacum & costum pro
mensura, qua scriptum est, tritum ad modum fa-
rinæ, & agitabis, & iterum coques, ut sit una
substantia, quo uteris adversum venas & vesicas &
suffusiones, quæ nascuntur in genibus, aut in ti-
biis, aut inter[a] nodos, aut in articulis, usque eo,
ut[b] ossulaginem curare credatur[c]. Malagma quoque 4
causticum hac voluit ratione componi: Picis ponde-
ra duo, ceræ pondera duo, galbani uncias tres, re-
sinæ libram, adipis taurinæ pondera duo, bdellii un-
cias septem, thuris pollinis uncias tres, resinæ te-
rebinthinæ uncias sex, visci pondera duo, glutis[d]
uncias tres. Absyrtus hujusmodi causticum hac ra- 5
tione composuit: Glandularis resinæ frixæ[e] uncias
tres, picis duræ uncias tres, bituminis Judaici un-
cias tres, evisci[f] uncias tres, galbani uncias tres,
bituminis Græci uncias tres: hæc omnia in vino de-
coquis; bitumen vero contundis & superimmittis.

Compositio malagmæ.

XV. Compositio malagmæ ad tumores duros[g] & veteres: Galbani uncias duas, resinæ libram, Am-

a) internodis C. *b. e.* internodiis. b) etiam *ins.* C. c) *præter* C. credantur *alii*. d) glutinis *conj.* Morg. IV, 50. *Sed etiam* glutis *vel* gluttis *bonum*. e) *quid si* Etruscæ, *de qua* Diosc. 1, 92? Gesn. f) visci *conj.* Morg. IV, 42. g) nervorum C. S. M.

moniaci selibram, picis Brutiæ[a] selibram, ceræ libram, olei quod temperare possit. Item malagma ad tumores duros & veteres: Galbani libras duas, Ammoniaci selibram, resinæ terebinthinæ selibram, opopanacis libram, storacis libram, ceræ rufæ libram, bdellii libram, piperis albi unciam unam, baccæ lauri libram, piperis longi unciam unam, picis Brutiæ selibram, olei irini quantum[b] sufficit.

Compoſitio collyrii fiſtularis.

XVI. Collyrium fistulare, quod conficitur, ut mittatur in fistulas vulnerum, quæ ab initio curata fuerint negligenter. Formatur autem ad mensuram ipsius fistulæ, ut cum immissum fuerit, eandem possit implere, ut celerius jam consumta duritie, caro viva ducat solidam cicatricem. Misy libram, feculæ libram, æruginis libram, chalcitis libram, cymini uncias sex, teres cum aceto, vel collyria facies.
2 Item aliter componitur collyrium fistulare: Misy, æruginis, chalcitis libras singulas, mellis uncias sex, zungitis[c] pondera duo, coquas[d] ex vino veteri, pastillosque inde facies fistulis inserendos.

Com-

a) *Vid. ſup. c. XIV. n.* 1. b) quod satis est C. c) lactis F. M. S. M. longitæ C. d) coques cum C.

Compositio malagmæ crudæ.

XVII. Compositio malagmæ crudæ: Calcis vivæ libras duas, sinapis[a] Alexandrini libram, ficus[b] siccæ uncias sex, axungiæ quantum[c] sufficit, immisces[d], contundis & uteris.

Compositio syncrismæ.

XVIII. Compositio syncrismæ: Ceræ rufæ[e] pondera duo, resinæ frixæ pondera duo, olei laurini libram, sepi taurini libram, axungiæ libram, medullæ cervinæ libram, olei Cyprini, æruginis, hyssopi, axungiæ veteris libras singulas: hæc omnia pariter ad carbones decoquis & uteris.

Compositio traumatici.

XIX. Traumaticum medicamentum curationi vulnerum valde convenit. Nam absumta[f] putredine vivam carnem ad sanitatem reducit[g]. Hujus est talis compositio: Mysi libram, chalcitis pondera duo, æruginis libram pariter colabis, & supra tegulam in ignem pones, & coques, ut rubeum fiat. Post in mortario teres, & ad similitudinem farinæ pulverem facies. Deinde duos sextarios mellis in olla

a) *sic* C. *qui firmat adeo conjecturam* Cl. Morg. IV, 51. sinopidis *alii*. b) picis C. c) quod C. d) & unum contundes C. *forte* in unum. e) Afræ C. f) consumta S. M. g) adducit C.

nova coquis cum vino, & cum fervere[a] cœperit[b], pulverem supra scriptum agitabis & pariter decoques: refrigeratoque ad cancromatas[c] plagas, ad famicem[d] & cicatrices reducendas uteris. Traumaticum quoque hac ratione componitur: Misy, cathimiæ[e], aloes, acori libras singulas, æruginis libras duas, chalcitis libram, mellis libras duas in olla nova decoques, refrigeratoque uteris.

Compositio malagmæ basilicæ.

XX. Malagmæ quoque istiusmodi compositio approbata est: Mellis libram, galbani, storacis[f], bdellii, piperis albi singulas libras, Ammoniaci pondera duo, medullæ cervinæ, baccarum lauri ana libram, thuris pollinis uncias duas, sepi caprini uncias quinque.

Alia compositio malagmæ.

XXI. Malagmæ quoque medicamentum hac ratione componitur: Ammoniaci uncias tres, ceræ libram, nitri floris uncias duas, resinæ terebinthinæ pondera duo, storacis uncias tres, baccarum lauri uncias sex, olei Cyprini uncias tres, olei laurini uncias tres, medullæ cervinæ uncias sex, olei

a) bene C. *forte fuit* ferbere. b) adjicies *ins.* C. c) cancromata, pl. C. d) & famices vel ad cicatricem C. *an* vomicæ *hic latent*? framices Morg. III, 14. e) cadmiæ legendum videtur, ut 2, 22, 6 & 14 &c. f) propoleos *subtit.* S. M.

rosati uncias tres, adipis anserinæ uncias sex, hyssopi uncias quatuor, adipis cervinæ uncias sex, opopanacis uncias sex, piperis albi uncias duas, galbani uncias tres, axungiæ veteris libram, aceti acerrimi heminam, thuris masculi uncias quatuor.

Compoſitio prima anacollimatis.

XXII. Absyrtus compositionem[a] anacollimatis ejusmodi composuit & prodidit: Floris nitri sextarium, opopanacis uncias tres, croci Siculi uncias duas, piperis albi unciam, pollinis thuris uncias tres, cochleas contusas decem, bulbos viginti, avellanas viginti, quæ omnia contusa & permixta, si aceto temperaris, divulsa conjungis. Efficacius tamen est, si locis[b] dolorosis emissum sanguinem ipsius animalis addideris. Compositio synchrismæ[c]: Storacis uncias quatuor, Ammoniaci uncias tres, medullæ cervinæ uncias duas[d], olei glaucini[e] uncias sex, olei Cyprini uncias tres, sevi taurini uncias tres, resinæ terebinthinæ uncias quatuor, adipis ursinæ uncias tres, adipis leoninæ uncias quatuor, propoleos[f] uncias tres, olei veteris uncias sex, axungiæ veteris

a) compositiones anacollematis C. e *in penultima poſcit analogia: est enim ἀνακόλλημα. Sed jotaciſſabant librarii & ipſe forte* Vegetius. b) de locis dolentibus C. c) *sic* C. syncrismæ *al. debebat* synchrismatis. d) thuris pollinis unc. 3, oleum laurinum unc. 2. *ins.* C. e) *leg. vid.* gleucini. f) *ita ratio ejusque interpres* Morg. IV, 52.

libram, olei Sabinensis[a] libram, opopanacis, galbani uncias tres: hæc ad carbones lentis vaporibus decoquuntur, & unctionem saluberrimam præstant.

Compoſitio alia malagmæ crudæ.

XXIII. Compositio malagmæ crudæ talis est: Ceræ Punicæ selibram, Ammoniaci selibram, bdellii uncias tres, storacis uncias duas, sagapeni[b] uncias quatuor, thuris pollinis uncias sex, olei veteris uncias quatuor, propoleos uncias duas, medullæ cervinæ uncias sex, sepi taurini uncias duas, resinæ frixæ uncias duas, adipis ursinæ uncias duas, adipis leonis uncias duas, opopanacis, baccarum lauri, ana uncias duas, olei Cyprini uncias quatuor, gentianæ uncias tres, resinæ Colophoniæ uncias
2 sex, galbani uncias sex. Item alia compositio malagmæ: Ceræ Ammoniaci ana libram, storacis uncias sex, sagapeni uncias tres, thuris pollinis uncias tres, medullæ cervinæ uncias quatuor, opii Hispani uncias duas, propoleos uncias quatuor, sepi caprini uncias sex, galbani uncias sex, picis Brutiæ uncias quatuor, resinæ terebinthinæ uncias tres, resinæ frixæ uncias quatuor, aceti acerrimi uncias quatuor, olei lentiscini uncias sex, olei irini uncias quatuor.

a) *sic* C. & Morg. *ib.* Savirensis *al.* b) *præter* C. sagapini *alii.*

Compositio malagmæ ad uligines.

XXIV. Compositio malagmæ ad uligines: Salis Afri libram unam, bulbi libram, nitrum, sulphuris libram unam, mysi libras duas, olei libram: his coctis diligenter, uteris.

Compositio malagmæ ad nervos.

XXV. Compositio malagmæ ad nervos: Sulphuris vivi, aluminis, resinæ, picis Brutiæ ana libram unam, ceræ pondera duo, medullæ cervinæ libram unam: hæc omnia pariter diu agitas aut verberas.

Compositio traumatici.

XXVI. Compositio traumatici[a]: Gallæ uncias quatuor, æris usti uncias tres, corticis mali Punici uncias tres, misy uncias quatuor, vini unciam unam, aceti uncias tres, in olla nova excoquis & uteris.

Compositio collyriorum.

XXVII. Compositiones collyriorum Absyrti, Pelagonii, Chironisque subjecimus. Ad album enim de oculis tollendum & abstergendum Absyrtus tradidit: Nuces avellanas[b] combustas donec redigantur

a) tragmantici S. M. b) avell. purgatas comburi debere — deteri, addique eo C. *Habet etiam in marg. Fabricianus liber*, nitrum, *it. al.* misceri: *sed non indicatur, quo sint referenda.*

Digitized by Google

in cineres, in mortario deteres, addesque mannæ
thuris idem pondus, quæ diutissime trita, &[a] mel-
le optimo adjecto comprehendantur, & sic inunga-
2 tur animal. Idem Absyrtus ejusmodi collyrium lau-
dat: Piperis albi grana octo, mellis Attici uncias
duas, croci uncias duas, sepiæ marinæ testa dili-
gentissime trita uncias duas, balsami unciam unam.
3 Pelagonius tale collyrium monstrat[b]: Oleum, sal[c],
resinam, cerussam, opobalsamum, addito melle[d]
deteris atque componis, alternis diebus inducis us-
que ad sanitatem. Nardinum quoque collyrium hac
4 ratione composuit: Violæ uncia una, spicæ nardi
uncia semis, cassiæ, myrrhæ unciæ tres, croci un-
ciæ tres, olei Cyprini unciæ sex, piperis albi un-
5 ciæ duæ, cymini[e] unciæ tres. Item alia collyria
composuit: Opobalsami, croci, myrrhæ, salis Hi-
spani, lepidis, ossis sepiæ, singulas uncias, cadmiæ
uncias duas, afronitri unciam unam, mellis Attici li-
6 bram. Chiron etiam vetera glaucomata hac[f] colly-
rii indicat confectione purgari. Cornu bubulum ex-
tremum, ubi solidum est, combures, ac[g] thuris ma-
sculi pulverem, stercoris quoque humani combusti
& salis Ammoniaci pari mensura, pulverem facies[h],

a) creta *ins.* C. b) propter *ins.* *Edd. acceptum a libris sine dubio. Forte fuit* præterea. c) butyrum *ins.* C.
d) pariter *ins.* C. e) gummi *conj.* Morg. IV, 15. *ex* Veg. 2, 22, 12. f) ejusmodi C. g) deteres. Thuris &c. *auget* C.
h) myrrham *ins.* C.

piper longum, ossa sepiæ, flos æruginis, vetus vinum, crocum, rutam, pariter detrita commisces, addito optimo melle, quod sufficit & inungis. Aliud quoque collyrium simile composuit: Ossa sepiæ ma- 7
rinæ, crocus, myrrha, troglodytis: item sal ac stercus crocodili: hæc omnia pariter ac diutissime deteruntur, & bene trita cernuntur, additoque optimo melle unctionis utilitatem animalibus præstat [a].
Licet [b] parva & prope nulla de his, quæ diversi 8
auctores retulerunt, præterisse, doceam, tamen quæcunque videbantur probata conscripsimus. Ve- 9
rum ne longior liber confusionem magis legentibus, quam instructionem videretur afferre, modum plenum credimus faciendum, illud iterum iterumque commonentes, ut diligenti cura passionum [c] occurratur exordiis. Nam etiam incurabiles ægritudines [d], si præventæ [e] fuerint [f], medentis arte vincuntur. Inveteratas [g] causas, etiam faciles, curari sæpe non posse, legi.

XXVIII. Cephalicum, quod facit ad omnia vulnera difficilia claudenda & supplenda: Herbæ panacis radices, thus masculum, myrrham, pollinem ervi, rosæ folia arida bene trita & cribrata: hic

a) In hujus libri fine monemus *ins.* C. b) aut parva aut C. c) in passionibus C. d) valetudines C. e) *sic* C. præsentes *Edd.* recentes *conj.* Morg. IV, 53. f) vi *ins. Edd. mox* medendi *pro* medentis C. g) Inveteratæ causæ, quæ etiam facile curari solent, sæpe non possunt C.

pulvis confectus difficilia vulnera claudit ac curat. Nunc[a] etiam si melle decocto, & huic medicamento mixto collyrium facias, & altis sub vulneribus fistu-
2 læ subjicias, citius supplere & sanare cogit. Medicamentum consuetum, in usu quotidiano necessarium, propter compendium & moras ita facies: Æruginem, chalcitem, æris florem, æs ustum; hæc bene trita & cribrata æquo pondere catastalticum faciunt, quod carnem supercrescentem comedendo effovet. Hoc idem cum aceto & melle decoctum ad mellis crassitudinem facies medicamentum, quod facit ad omnia vulnera & cancros elym-
3 pidanda, & ossa scabrosa. Chlora medicamentum, quod facit ad omnia vulnera complete lympidanda, vel sine difficultate claudenda: Punicam, resinam terebinthinam, medullam cervinam, æruginem,
4 oleum, ita conficies, quantum sufficit. Tetrapharmacum, quod facit ad omnia vulnera elympidanda, & velocius curanda: Adipem taurinam, ceram, picem, oleum. Igitur medicamentum, quod supra di-
5 xi, catuloticum[b] est. Glicium, quod facit ad omnia vulnera sordida & cancrosa: Amurcam, salem, acetum: his mixtis, quantum volueris, ad crassitudi-
6 nem mellis uteris. Ossiculare[c] medicamentum, quod facit ad omnia ossicula, & (darscus, quo loco fa-

a) *forte* Hic. b) catalot. *omn.* c) *sic reposuit* Gesn. *pro monstroso* ossoclare.

ctum, si dejiciendum volueris) picem liquidam,
axungiam veterem, æruginem bene tritam & ad-
mixtam, colas bene coctum, post decoctionem su-
pra scripta purgat vulnera diligenter. Stypticum, 7
quod facit ad omnia vulnera humecta, & fungos[a]
exsiccandos: Alumen scissum, gallas minores, cor-
tices mali granati, subcorticem de ipsa arbore: hæc
omnia trita, pulvis ipsius vulneribus exsiccandis val-
de prodest. Medicamentum, quod facit ad omnia 8
vulnera claudenda: Absinthium, sinopidem, lepi-
dam[b]: hæc tria bene commixta faciunt medicamen-
tum siccum, quod ad omnia vulnera prodest. Im- 9
plectoricum[c] medicamentum, quod facit ad omnia
cava supplenda: Pollinem thuris, pollinem herbi[d],
lepidam: hæc bene trita medicamentum faciunt ad
supplenda vel elympidanda vulnera. Ad oculorum
rupturas & tuniculas servandas prodest, si fel ca-
prinum lacti caprino misceatur, & sic penna nigra
oculi inungantur. Ad oculorum album sive glauco- 10
mata sic facies: Vini sextarios 4, gari[e] floris sexta-
rium unum, mellis uncias 4, pariter decoquis &
uteris. Ad recentem ocularem[f] percussum: Croci,
myrrhæ, thuris masculi, gummi, medullæ verveci-
næ, anagallici succi, mellis, cardami, binas uncias.

a) *ita scripsit idem pro* fongos. b) *forte* lepida. c) *videtur legendum*, impletorium: *certe favet argumentum*.
d) *h. e.* ervi. e) garifloris *Edd.* f) oculorum *malit* Gesn.

11 Synchrisma: Ceræ rufæ pondera 2, axungiæ ponde-
ra 4, opopanacis uncias 2, olei veteris pond. 2, gal-
bani unc. 3, myrrhæ pond. 4, Armeniæ[a] pond. 3,
olei Cyprini pond. 4, medullæ cervinæ pond. 2,
hyssopi pond. 2, storacis pond. 4, olei lentiscini pon-
12 dera 4. Synchrisma ad alia genera: Galbani pond. 2,
opopanacis pond. 1, ceræ pond. 4, medullæ cervinæ
pond. 3, thuris masculi pond. 2, piperis albi pond. 1,
resinæ terebinthinæ pond. 3, storacis pond. 1, adipis
anserinæ pond. semis, euphorbi uncias 6, adipis leo-
ninæ, mellis, castorei, libras singulas, olei myr-
rhæ lib. 2, olei lentiscini pond. 2, olei Syriaci lib. 2,
olei veteris lib. 2, olei mellini pondera 2, olei stora-
13 cis pond. 2, opii pond. 3. Lipparia sic facies: Spu-
mæ argenti pondus 1, cerussæ uncias 2, vini sexta-
rios 3, olei pondus 1 & semis: omnia conficies, &
14 sic uteris. Liparia[b] alio genere sic facies: Spumam
argenti, cerussam, thus masculum, acetum album,
oleum: hæc omnia in unum conteres, & cum vino
melicrato admisces, & sic uteris. Traumaticum sic
15 facies: Chalcitidis pond. 1, misy pond. 1 semis,
æruginis unciam 1, stercoris columbini pond. 1, adar-
cis uncias 3 & scrupulos 3, decoquis una, & sic ute-
ris. Item alio genere ad flegmonas[c] tollendas: Si-

a) Armoniæ *Edd.* b) Liparas *malit* Gesn., certe Liparia.
c) *pro* phlegmonas.

Digitized by Google

napis Alexandrini unc. 6, fici Afræ unc. 3, axungiæ
veteris uncias 6, aceti scrup. 3. Item Traumaticum 16
alio genere ad verrucas tollendas: Floris chalcitis
uncias 2, nitri uncias 2, lasari[a] uncias 3, aceti heminam. Item alio genere ad suffraginosos: Æruginis, aluminis ana pond. 5, herbæ sideritis, ferrariæ pond. 1, aceti acri sextarium unum. Ad fleg- 17
monas[b] discutiendas: Radicis[c], ervi, axungiæ, aceti
acri, linis in linteo, & sic uteris. Causticum ad ner- 18
vos crassos, vel quæcunque in notitia sunt: Galbani, opopanacis, medullæ cervinæ, resinæ terebinthinæ, Armeniaci, propoleos[d], violæ, thuris pollinis, bina pondera, resinæ frixæ pondera 5, bituminis pond. 3, picis duræ pond. 5, resinæ pituinæ pond. 5, ceræ pond. 5, olei cerini pond. 3, incomii
pond. 2, storacis pond. 2, visci pond. 2. Causticum 19
ad nervorum dolores: Galbani, storacis, violæ, propoleos, resinæ singula pond. Colophoniæ uncias sex, resinæ terebinthinæ pond. 6, opopanacis pond. 1, thuris pollinis, hyssopi, Armeniaci, baccæ lauri, singula pond. picis Brutiæ[e] pond. 1 & semis, vini Aminei pond. 1 semis, resinæ bituminis pond. 1; hæc omnia in uno cacabo coques, in linteolo in-

a) *an* asari? Gesn. b) *pro* phlegmonas. c) *an jungenda* radicis ervi? d) *pro* terbentinæ, Armoniaci, propulei.
e) *pro* Britiæ. Vid. Morg. IV, 64, *cui debetur etiam* Aminei *pro eo, quod editum erat* inei.

20 duces calida. Malagmam coćticam sic facies: Ceræ albæ, galbani uncias singulas, resinæ terebinthinæ pond. 2, adipis taurinæ pond. 3, hyssopi pond. 2, bdellii pondus 1 semis, irisillyricæ pond. 2, adipis anserinæ pond. 1; hæc omnia decoquis & uteris.
21 Malagma ad nervorum dolorem: Ceræ unc. 6, adipis cervinæ unc. 3, galbani, piperis, Armeniaci, resinæ terebinthinæ uncias ternas, tracanti uncias
22 5, singula contundis, permisces & uteris. Malagma ad nervos vexatos: Mentæ, galbani, rubricæ, storacis, violæ ana pond. 6, similaginis pond. 4; hæc omnia cum similagine & vino decoques in cacabo, & liquida facies, deinde similaginem & vinum in unum permiscebis, inlinis in linteolo, &
23 alligabis ferventia. Malagma ad tumores sic facies: Ceræ uncias 6, adipis cervinæ uncias 3, galbani uncias 3, violæ, piperis albi uncias ternas, Armeniaci unciam, resinæ terebinthinæ unc. 3, storacis unc. 3, gentianæ unc. 1; singula contundis, postea
24 permisces in vino, & sic uteris. Emplastrum: Ceræ viridis pond. 1 & semis, olei Cyprini unc. 9, olei myrrhini [a] uncias 2, adipis anserinæ uncias 2, thuris pollinis unc. 2, hæc omnia in cacabum mit-
25 tis, coquis & linteolis inlinis. Cerotum ad ulcera: (Strumenta) pond. 2, ceræ rufæ pond. x, olei

a) myrrhini *Edd.*

myrrhini pond. 6, olei veteris pondera 8, aluminis pond. 9, olei Cyprini pond. decem, calcis pond.
quinque. Fomentum ad tumores sive ad duritiam 26
quamlibet sic facies: Eviscum[a] ex vino decoctum conteris cum axungia, & sic uteris; si minus, herbam sabinam conteris, & ex rosaceo concoquis, &
sic uteris ad sanitatem. Compositio ad colicos[b]: 27
Asari Pontici, petroselini, fœniculi uncias singulas, piperis nigri uncias 2, marrubii mas. unc. 1, abrotani unciam semis, mellis optimi pond. 2, coques & despumabis, & hæc omnia contundes & cernes, & sic in melle commiscebis, inde figuram facies nucis avellanæ, & ex aqua dabis, & aquæ congium 1, in potum. Item diebus, quibus eo morbo tenetur, fœniculi seminis cum vino cochlearia tria aut quatuor fricabis in mortario, adjicies vini cibarii sextarium 1, mittes in ampullam aut cornu, & dabis, ut bibat, & cum sagis bene munies. Malagma 28
ad nervos claudos: Sepi hircini libram, molybdænæ selibram, resinæ libram, æruginis selibram.
Compositio ad genua[c]: Aceti hemina, salis pusil- 29
lum, æris usti selibram, sinopidis, quod satis est.
Potio hiemalis: Croci, costi, petroselini Macedo- 30
nici, murrhæ, thuris masculi, tracanti, cymini Ale-

a) viscum *putat leg.* Gesn. *& restituit alias hanc vocem* Cl. Morg. b) colices *Edd.* c) *non sana videtur vox* genua Gesnero.

xandrini, crocomagmæ, piperis uncias singulas, vini & olei, quod sufficit (ova); hæc omnia permisces, & dabis cum succo ptisanæ, cui immittis palmas xxv, bulbos xxv, hyssopi fascem, caprinos adipes, catulum brevem vivum mittis, quem cum madefactum videris, tunc omnia exsiccabis, & adjicies olei, quod sufficit, tunc illa omnia permisces & potionabis.
31 Potio æstivalis: Traganti, croci, abrotani, cardamomi, glaulii, petroselini Macedonici binas uncias, gingiberis unc. 1. hæc temperas, & cum dare cœperis, mittis quotidie heminas singulas singulis jumentis. Addes porri sectivi, porcla [a] sil Gallici, thus, apium, olei Afri heminam, temperabis quod sufficit & uteris.

a) *forte* portulacæ, silis.

CURÆ BOUM

EX CORPORE

GARGILII MARTIALIS.*

AD boum morbum. Salem tritum per cornu cum
vino in potionem dabis. Boves morbos[a] ne noceat,
dato sumptas salis, terna lauri folia, & totidem
porri sectivi, & ulpici alii[b] ternas spicas, thuris
grandis grana terna, herbæ sabinæ erbas ternas,
rutæ cauliculos ternos, sambuci carbones[c] ternos.
Hæc omnia sub dio cœli per triduum ex eadem 2
potionem dato: adjecto scilicet vino. Quod ita par-
tieris, ut æquas potiones per triduum accipiat. Sa-
ne is, qui dabit, sublime stet, & vaso ligneo in-
fundat in os, deiciat in gutture. Boves[d] si ægrota- 3
re cœperint, dato continuo ovum gallinacium, quod
crudum integro[e] facito, ut devoret: postero die ca-

* *Gesnerus, ut ipse candide fatetur, longo opere fessus, cum videret, nihil admodum, ut speraverat initio, mutuæ opis præstare posse neque Vegetium Gargilio, neque hunc isti, manum plane abstinere maluit, quam in tenebris tantis sine bona spe versari. Igitur pauca tantum illi annotare placuit, quæ nos suis locis subjecimus.* EDITOR.

a) morbus. b) allii. c) turiones. d) *Habes hæc apud Columellam* 6, 4, 2. e) integre, *vel* integrum: *deinde* devorent. Schoett.

put ulpici alii[a]. Bos si ægrotat, quotidie ei dato
unam eminam vini, & exercere bene vivere me-
dium: si ægrotat, herbam centauream contrita[b] ex
4 vino infunde per cornum. Bos si ægrotat, muriam
salsamenti optimam, & malum terræ aquæ sext.
aceti sil. ruta conterito & labris perfricato. Vel
radicem herbæ personaciæ[c] conterito & primo die
5 dato unc. 1, vinique sext. 1, & aquæ. Bos[d] si æ-
grotat, junci radicem decoques & per cornum da-
bis. Bos si tussiet, aut si suspiravit, terræ malum,
ovum crudum & adipem suillum, & vinum vetus,
adipem tamen prius liquefacito & dato, juvat; vel
6 marrubium cum vino datur. Si bos collum subtor-
serit, ebulo contrito perunguitur, sæpe[e] vel medul-
7 lam taurina, prius tamen axungiam perfricato. Si
in collum nervi laboraverint, sumito corticem no-
vam de subero, comburito ut carbones fiant, & te-
rito ex vino veteri & axungia bene inter se com-
mixto & perfricato, ei[f] collo pili sæpius defluunt.
Ulmi vernaculi radicem ex vino decoquitur[g] ad ter-
tias, & eum, cum opus non faciet, sæpius perun-
guito, vel adipem ursinam vel medullam taurinam,
8 prius tamen axungia perfricato. Si bovi intestina do-

le-

a) allii. b) contritam. c) personatam *vocat* Col. 6, 17, 1.
d) *Eadem tractant Columella* 6, 10 & *Geoponici* 17, 21.
Sed alia medicamenta præscribunt. Schoettg. e) sepum.
f) si Schoettg. g) decoquito.

lebunt, sumito vini sext. III, & olei emin. & per-
mixtum per cornum & curat, remediabitur. Item
aliud: Salis[a] pugnum & cepæ capita X, pariter con-
terito, & in offæ modum reficito, eam in anum
bobis inicito, & fac eum arare continuo folli & sa-
nus erit. Scabies bobis neves: & erbam si satrum
tundes, & ex eo pecus lavabis. Et ex aqua, in qua 9
lupini decocti fuerint, nihilominus lavabis. Bobus &
cæteris pecoribus scabiem ut discutias, intibum silva-
ticum conteris & perunguis. Bos aut asinum si eos- 10
dem morbos inciderint, sumito scilla aut rumnisa[b] ra-
dicem, id est, spinam albam quam tenerrimam, &
in aquam infundito: ex qua per dies quatuordecim
bibat. Unde expurgabuntur & sanitas consequitur. 11
Irudinem si bos devoraverit, cimicem conteres, & ad
nares ejus admovebis, statim eicies. Bos si non rumi- 12
gat[c], salicis folia aut corticem ejus viridissimam con-
tundito, & in eo sext. vini addito, & olei partem
quartam in se bene misceto, & per cornum bovi
infundito. Intestinum enim movit, ut pedere non 13
cesset enovit sanabitur. Jumenta si[d] potionabis:
Stercus leporinum & cepam siccam cum vino con-
terito, & per cornu dato. Jumentum ruscones si
habebit, allium cum axungia conteris & dabis: ægri

a) *Eadem Geopon.* 17, 19. Schoettg. b) *Explicatio adjecta docet legendum eſſe* rhamni, *quæ nota eſt ſpinæ species.*
c) ruminat *ex* Col. 6, 6, 1. d) *Lege* sic. Schoettg.

des remedium fœniculi cum cepa conteris & potionabis jumenta, si crocinabuntur jumenta, marru-
14 bium & axungia conteris, & in vino dabis. Ad glandulas jumentorum. Luna XIV mane, antequam manus laves, jumento omnia impedimenta tollis, & manus[a] sinistra digito medicinali de glandulam apprehendis, & hæc dicis: Senti[b] precante nec lapis lanam feri: nec lumbicos oculos habet, nec mula parit. Utriculum cossia herpiosum arbor fuit manu humana hæc ipsa concisa est, corbo factus est, & si tuber, si panus evala subula nece-
15 ris, nec radices agas. Hoc semel dices. Si jumentum stercus gallinacium comederit, brassicam agrestem terito cum oleo & aceto bibat per cornum.
16 Ad abundantiam sanguinis genestam viridem conterito, & eam in vino sive in aquam permixtam da-
17 to per cornum. Jumentum si male habuerit, cineres[c], lixiva, cyathos VIII, olei cyathos VI, consubige & in[d]se &[e] dat: bibat per cornum, & currat, ne minus horam aut seniores[f] Ut bene valeant. Ypopomaces unc. I conteris ex vino dabis potionem. Ad sca-
18 biem jumentorum. Arabis bituminis $\overset{\circ}{\text{p.}}$ III, sulphuris $\overset{\circ}{\text{p.}}$ II, picis liquidæ $\overset{\circ}{\text{p.}}$ VI, picem, mentam, oleum,

a) manu sinistra *vel* manus sinistræ. b) *Versus sunt senarii, sed de quorum sensu jam certe nihil promittere possumus.* Schoett c) cineris lixivii Schoettg. d) misce. e) & dato bibat Schoettg. f) aut semis. Seniores ut &c. Schoettg.

mitte in ollam integram, sine quiescat. Dein super
infricato[a], qui & trita erunt, & quæ soleta, adi-
ce: bitumen, sulfur nigro & ita infunde, sed dili-
genter coques, ne ferveat, sed lene igni vel car-
bonibus calefacito, & remobes ab igne & colas,
ac resolutum prius aceto admiscebis. Hoc medica-
mento perunguis jumenta alternis diebus plus bis
aut quater. Ad pituitas, aniscis[b] unc. III, beneto- 19
ris[c] dabis cum vino permixtos cyathos VI ad cor-
num. Ex quo medicamento etiam per sinistram na-
rem duas dragmas infundis. Item aliud: Stercoris
scrufini[d] pulverem contritum diligenterque cribratum
studiose servabis, ut si quando jumento pituita mo-
lesta erit, ex confecto pulvere cum vino veteri,
quantum videtur posse sufficere, per cornum dei-
cias, & sanabitur statim. Si quod jumentum cu- 20
juslibet generis stranguriam patitur, de sinistra ma-
nica tunicæ pediculum eximis, eumque in aurem
equi sinistram conicies, continuo sanabis. Sed cum
hoc facies, pediculum omnino non nomines. Si quod 21
jumentum mus[e] cœcum morderit, acetum acrum be-
ne cum orbita[f] infundito, & cum subigis & sic tol-
lis, & inde acu ferrea morsum bene compungito,

a) infriato, quæ trita erunt, & quæ solida Schoettg. b) anisi.
c) bene teris Schoettg. d) scrofini *id.* e) mus vel cæcilia *ex* Col 6, 17, 1 Schoettg. f) cum creta, *ex* Col. 6, 17, 6 *& his quæ sequuntur*, & supra dicta terra confricato. Schoettg.

& supra dicta terra confricato. Hoc per triduum
22 facito, & cornu cervino suffumigato. Ad vermes
necandos scyllæ sucum instillato & pice liquida tan-
23 gito. Boves si pedes adtriverint, priusquam in viam
mittas, pice liquida cornua perunguito. Famicem [a]
si boves habuerint, sale & aceto diligenter eluito
posa æris flos contritum commixtum cum axungia
vel alumine solo, vel galla cum allumine.

a) Tumorem Schoettg.

Digitized by Google

AUSONII POPMÆ FRISII

DE

INSTRUMENTO FUNDI

LIBER, QUI

APPENDIX AD REI RUSTICÆ

SCRIPTORES LATINOS

VETERES.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUSONII POPMÆ

DE

INSTRUMENTO FUNDI

LIBER.

BREVIARIUM.

I. Instrumenti fundi definitio & divisio. II. Præfecti villæ & rei rusticæ, Villicus, Villica, Procurator, Actor &c. III. Operarii rustici, & eorum diversa ministeria & nomina, Politor, Arator &c. IV. Pecudes majores agriculturæ servientes, Boves, Equi, Asini, &c. V. Pecudes minores, ut Ovis, Sus, Capra &c. VI. De canibus & eorum diversis generibus & usibus. VII. Aves villaticæ, terrestres, & aquatiles, Gallinarum tria genera. VIII. Instrumenta inanima & muta trium generum; & quæ fructus quærendi gratia parata. IX. Colligendi fructus causa parata instrumenta, & primum messis. X. Fœnisiciæ instrumenta.

XI. Vindemiæ instrumenta. Torcularis descriptio particularis. XII. Oleæ legendæ & premendæ instrumenta. XIII. Laticinii instrumenta. XIV. Florilegii & fructum hortensium colligendorum instrumenta. XV. Conservandis fructibus destinata instrumenta, Cellæ, Apothecæ, Cisternæ, Horrea &c. XVI. Vasa vinaria majora, Culleus, Cupa, Orca, Seriæ, Dolia. XVII. Minora vasa vinaria, Cadus, Amphora, Fidelia, Lagena, &c. XVIII. Vasa Salgamaria & Salsamentaria. XIX. De instrumentis instrumentorum fundi. XX. De cibariis & vestimentis familiæ rusticæ. XXI. De instrumentis jumentorum, & ornamentis eorundem.

Instrumenti fundi definitio & divisio.

Cap. I. Instrumentum fundi est apparatus rerum necessariarum, cum ad culturam agri villæve, tum ad fructuum perceptionem vel conservationem. Nam quod ornatus aut usus sui causa paterfamilias habet in fundo, id appellatur instructum: veluti supellex, bibliotheca, pædagogia, artificia; hæc enim omnia non agri, sed ipsius domini sunt instrumenta, quibus ille lautior in re familiari, & ad vitæ cultum fit instructior. Quæ autem continentur instrumento fundi, partim sunt animalia, ut homines, pecudes, aves: partim inanima, ut ferramenta, vehicula, do-

lia: sine quibus neque agricultura, neque frugum fructuumque reliquorum collectio, vel conservatio esse ulla potest. Ac homines quidem ad usum rusticum parati, vel liberi, vel servi sunt, soluti aut vincti: & alii præfecti, alii operarii: utrique vero a diversis ministeriis & operis diversa habent nomina, quibus discernuntur.

Præfecti villæ & rei rusticæ, Villicus, Villica, Procurator, Actor, &c.

II. Inter præfectos primus est VILLICUS, agri colendi causa constitutus in villa: cui contubernalis VILLICA; quæ rem familiarem & domestica opera curat. *Villæ* autem appellatione intelliguntur omnia ædificia extra urbem, quæ non pecora modo armentaque recipere possunt, sed etiam familiam & fructus fundi. Tres enim partes villæ constituuntur, una *Urbana*, ampla & ornata, quæ *Prætorium* quoque dicitur, & ipsius domini habitatio est: altera *Rustica*, laxa & impolita, quæ habet familiam villaticam, pecora, stabula, præsepia, omne denique instrumentum rusticum: tertia *Fructuaria*, ubi fructus fundi ac reditus reponuntur, ut fœnisecia arida in tabulato, vindemia in cella, in granario messis. PROCURATOR est socius villici, & in omnibus rebus administer; Græco vocabulo dicitur *Epistata*. Cato 57, *Villico, Villicæ, epistatæ, opilioni*.

Digitized by Google

ACTOR in familia rustica acceptorum expensorumque actum administrat, cibaria familiæ distribuit. DISPENSATOR rationes villaticas dispensat, pecuniam fenerat, locat, mercedes præstat. Plinius Epist. 3, *Sub eodem procuratore, & pæne iisdem actoribus habere.* Quintil. declamat. 345, *Quod per dispensatores feneratis, quod familiam per procuratores continetis.* ATRIENSIS villæ & supellectilis rusticæ munditias curat, videtque ut ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur, ceteraque si refectionem desiderant, fabris concinnanda tradantur. MONITOR est, qui tenet nomina operariorum totius ac familiæ, & unumquemque nominatim sui muneris & operæ admonet: sicut qui in scena adest histrionibus, & gestus verbaque suggerit, dicitur etiam *Monitor* auctore Festo. Columella lib. 1, *Et in turba & sub Monitore vinitor opus facere debet.* ibidem: *Ne præeuntis monitoris diligentiam multitudo confunderet.* Ulpian. tit. De inst. & instrum. leg. *Villici & monitores.* CELLARIUS cibum & potionem præbet familiæ, & rationes cellæ ne turbent, videt: ideo, more veteri, cellam penumque omnem signo herili obsignabat. Plaut. captiv. *Obsignate cellas, referte annulum ad me.* Persa: *Allium servo obsignant cum sale.* Vocabulo Plautino *Promus & Condus* appellatur. Pseudolo: *Promus & Condus fuit, procurator peni.* CUSTOS torcula-

rium servabat, ne quid incuria aut furto deperiret; & erat homo liber: contra qui dolia curabat, servus: in lapide prisco. A TERENTIVS. M. L. CHRYSOGONVS SER. DOLEARIS. FORNACARIVS accendendi fornacis curam gerit, ignemque custodit, ne evagetur: qui ab Jurisconsultis tit. ad legem Aquil. *Fornicarius*, & tit. de instr. & instrum. leg. *Fornicator* appellatur: nimirum propter affinitatem & commutationem literarum A & I, quam multis exemplis ostendi lib. 1, De usu antiquæ locutionis. ERGASTULARIUS erat custos & præfectus ergastuli, in quo vincti & compediti servi concludebantur, cum cessassent ab opere, ne noctu aufugerent. Erat enim *ergastulum* in villa tanquam privatus carcer: Juvenalis, Sat. 14, *Quem mire afficiunt inscripta ergastula carcer Rusticus:* & Sat. 8, *Nempe in Lucanos, aut Tusca ergastula mittar*. Hinc Apulejus lib. 9 Metamorph. vocat *Tullianum*: *Eos retrorsum abducunt pagani, statimque vinctos in Tullianum compingunt*. OSTIARIUS sive JANITOR *foribus tutelam gerit*, ut ait Plautus, & introitus exitusque observat: ob quod olim in cella sua prope januam catena vinctus cubabat, non ruri modo, sed etiam in urbe. Petronius Satyrico: *Non longe ab ostiarii cella*. Columella lib. 1, *An putem fortunatius a catenato repulsum iri janitore*. Ovidius Fastor. 1, *Janitor immittis dura religate catena*.

Digitized by Google

Operarii rustici, & eorum diversa ministeria & nomina, Politor, Arator, &c.

III. Operarii rustici pro modo & natura agrorum diversas operas præstant, vel colendis arvis, vineis & hortis, vel pascendis pecoribus; vel salictis aut saltibus instituendis atque tuendis. In quibus singulis Columella requirit singularem animi ac corporis habitum, ut in aratore proceritatem, in vineatore latitudinem, in bubulco vocis vastitatem pariter & corporis, in pastore sedulitatem ac frugalitatem. Ex horum numero est POLITOR, qui agrum cultura expolit, dummodo id facit fide domini. Non enim tenetur instrumento fundi (quod idem de aliis omnibus intelligendum) si pecuniariam mercedem, aut certam fructuum partem capit, pro ratione operæ & artis, vel conditione soli: ut olim in agro Casinate & Venafro, loco bono, si politor tantum demessuisset fruges, & eæ una cum spicis in corbem corruerentur, accipiebat partem octavam; at si etiam impendisset trituræ & ventilationis laborem, & purgatum frumentum modio divideretur, ferebat partem quintam, auctore Catone, 136 Ulpianus tit. Pro socio: *Cum pecus in commune pascendum, aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus*. ARATOR terram aratro sulcat & proscindit, JUGARIUS in aratione juga ducit & re-

git. Columella 1, *Jugario ad circumeundum laxa ministeria præbeat*. MEDIASTINUS est quasi in medio actu agricolationis, & post aratorem reliquas partes tractat. Habent enim opera rustica commune quoddam vinculum, quo inter se alia aliis stato ordine succedunt, ut terra primum variis modis illecta & præparata ad sementim proscinditur aratris: deinde illius gremio mollito & subacto semen inspergitur, quod mox constrata humo altius obcæcatur: tum ubi herbescens ex eo viriditas se ostendit, spinæ noxiæ succrescentes leviter evelluntur rastris, sarculis, runcinis: post ſruges jam adultæ desecantur, quæ calore solis adsiccatæ bacillis, ſurcillisve in area triturantur & excutiuntur: ad extremum grana ventilabro per longum spatium in ventum projiciuntur, atque ita purgantur. Quæ opera qui efficiunt, singuli sua privaque habent nomina, ut SATOR, OCCATOR, SARRITOR, RASTRARIUS, RUNCATOR, MESSOR, TRITURATOR, VENTILATOR, & uno simul omnes vocabulo Mediastini appellantur: sicut in familia urbana *Mediastini* sunt servi medii inter actores & compeditos, id est, inter summos & infimos: Lucilius lib. 17 Sat. *Villicum Aristocratem, mediastinum atque bubulcum*. Columella 1, *Mediastinus qualiscunque status potest esse, dummodo perpetiendo labori sit idoneus*. VINITOR colit vineam: cui adjungitur PUTATOR, FRONDATOR: ille vites aut arbores amputat & purgat;

hic arbores defrondat, ut e frondibus faciat manipulos ad pastum pecoris per hiemem: vel vitium ſolia decerpit, quo uva solis calori exposita commodius maturescat. Utriusque insigne olim erat falx. Ovidius Metamorph. 14, *Falce data frondator erat, vitisque putator*. PASTINATOR terram vinealem fodit & præparat. VINDEMIATOR colligit vindemiam & Græce τρυγητὴρ dicitur. OLEARIUS loco & ordine socius ac æqualis est Vinitori: quia apud veteres ſuit gemina & juncta cura vineæ & oliveti. Huic operam præbet LEGULEJUS, qui oleam caducam & verberando decussam nuda manu legit; STRICTOR digitabulis pressam decerpit ab arbore: FACTOR oleam facit exprimitque, ut *Factus* est quod uno tempore conficitur; & *Hostus*, quod ex uno facto reficitur, quasi haustus, ut *Horio*, pro haurio veteres dixerunt & *dehorito* pro dehaurito Cato 67, idem 6, *Hostus nequam erit*, id est, inutilis & nullæ rei. CAPULATOR oleum expressum *capulis* deplet, & e *cortina* in *labra* aut *dolia* transfundit. *Deplere* enim est haustu minus facere, ut ait Statius Achilleid. 1, *Fontes deplevimus haustu*. HORTULANUS & OLITOR curat fructus hortenses, & vendit impositos asino vel caballo, ut olim fieri solebat. Horatius Epist. 1, *Olitoris aget mercede caballum*. Pastioni pecoris præest MAGISTER PECORIS idem PASTOR, qui pecus pascit, regit & curat, ut *Magister camelo-*

rum Victori, *sarcinalium principis jumentorum magister*, Ammiano lib. 15. ARMENTARIUS sive JUMENTARIUS & ARMENTI CUSTOS Ovidio 11 Metamorph. cui qui præfectus est, dicitur SUPERJUMENTARIUS. Suetonius in Claudio: *Barbarum & olim superjumentarium*. Sed a pecoris genere, cui præsunt armentarii, habent diversa nomina, ut *Equiso*, *Asinarius*, *Mulio*, *Bubulcus*, *Subulcus*, *Opilio*, *Caprarius*, *Porculator*, qui observat porcellos lactentes. AVIARIUS est qui aves villaticas pascit & curat, FARTOR qui saginat. Horat. 2 Sat. 3, *Cum scurris fartor*. Antiqua inscriptio, AVIVM FARTOR. GALLINARIVS, curator gallinarum, DELIACUS, saginator. Varro de re rust. 1, *Qua gallinarius curator earum ire possit*. ibid. *Ut maxime factitaverunt Deliaci*. Cicero Academic. 2, *Accepimus Deli fuisse complures salvis rebus illis, qui gallinas alere per multas quæstus causa solerent*. Plinius 10, *Gallinas saginare Deliaci cœpere*: SALICTARIUS est, qui salictum curat, & ex eo materiam salignam parat, vel texendis corbibus, canistris & cistellis, vel viti pedandæ, jugandæque. Sunt enim *salicum* duo genera; aliæ *viminales*, supellectili villaticæ texendæ, aliæ *perticales*, vineis jugandis vel soboli plantandæ, vel denique sæpimentis usum præbent. Unde Cato in æstimatione prædiorum tertium locum tribuit salicto, præponitque olivetis, agris frumenta-

riis & pratis. SALTUARIUS vocatur custos saltuum: sive fructuum conservandorum gratia paratus sit, sive finium tutandorum causa, ut ille Tyrrhus Virgilianus, *cui late custodia credita campi*. Nam omnino Saltuarii continentur instrumento, si fundus saltus pastionesque habeat: sicut etiam accedunt instrumento si villa cultior est SCOPARII, & si viridaria habeat TOPIARII, qui hedera deambulationes gestationesve convestiunt, & formas varias ex plantis, arboribus, fruticibus compositis & plicatis reddunt: si in agro venationes sunt, VENATORES: si ab aucupio reditus percipiatur, AUCUPES; si ex melle, MELLARII, qui sunt curatores apium & mellis, ut ait Varro 2. Denique est in instrumento fundi FOSSOR, qui compeditus erat, & minimæ dignationis. Unde pro inerti & stupido dixit Persius 5, *ne cum sis cetera fossor*. Juvenalis 2, *Squallidus in magna fastidit compede fossor*. MESSOR, FŒNISEX, vel *Fœniseca:* illius insigne, more veteri, erat corbis, hujus corona e fœno. Cicero pro Sestio; *Messoria se corbe contexit*. Ovidius Metamorph. 13, *O quoties habitu duri messoris aristas Corbe tulit, verique fuit messoris imago*. Idem. 14, *Tempora sæpe gerens fœno religata recenti, Desectum poterat gramen versare videri*. Propertius 4, *Arma tuli quondam, & memini, laudabar in illis, Corbis at imposito pondere messor eram*. Ibidem: *Da falcem*,

&

Digitized by Google

& torto frontem mihi comprime fœno, Jurabis nostra gramina secta manu. GERMINISECA, qui in hortis & vineis germina falculis præcidit. Varro L. L. 4. *Falculas has phancillas germinisecæ vocant:* Sed *Pistor*, *Molitor*, *Coquus*, *Faber*, *Tonsor*, *Fullo*, *Textor*, & alii opifices, si qui in fundo sunt, continentur instrumento, non ut fundi instrumenta, sed instrumenti, nempe familiæ rusticæ, cujus causa parata sunt, ut infra dicemus.

Pecudes majores agriculturæ servientes, Boves, Equi, Asini, &c.

IV. Sequuntur reliqua duo genera instrumenti animalis, *Pecudes* & *Volucres*, quæ fundi culturæ inserviunt. Non enim si quæ habentur, ut dominum lautiorem reddant, instrumento fundi annumerari debent: sed hæ modo sine quibus recte exerceri nequit possessio. Itaque si dominus paravit greges venalium, ut ex iis fructus caperet, hi non sunt in instrumento, nihilo magis, quam si induxit plures in fundum textores, fabros, aut alios artifices rei quærendæ. *Pecudes* autem promiscue appellantur omnia animalia, quæ parent hominis imperio & pabulo pascuntur: & sunt aliæ majores, ut bos, asinus, mulus, equus, aliæ minores, ut ovis, capra, sus: quæ familiæ victum, vestitum ministrant. Majores pecudes communi nomine dicuntur ARMEN-

TA ab arando, vel ab armis, id est, scapulis majoribus, ut Servius putat; & JUMENTA a jungendo sive a juvando, quod necessarium rusticum laborem vel subvectando, vel arando juvent: etsi jurisconsulti hæc distinguant subtili quadam differentia, quam tamen alii auctores non observant, ut notavi lib. 1 de differentiis verborum. Ex his veteres præcipuum usum & honorem tribuerunt bovi, socio laboris rustici & tanquam colono; ob quod Hesiodus ex viro & uxore aut bove domum constare dixit. Cognominatur autem BOS JUGATORIUS, qui jugo submittitur, contra INJUGIS, qui sub jugo non fuit, ut Festus tradit. ALTILIS ad publica sacrificia saginatus, apud Varronem lib. 2, ut *gallina altilis* apud Martialem 13. STERILIS, qui est exsectus. Tibullus 3, *Dum subigunt steriles arva secunda boves*. LACTARIA bos fœmina, vacca, quæ lac præbet. FORDA & HORDA, vacca, quæ prægnans est; unde *Fordicalia* seu *Hordicalia* festa dicta, quod tum hordæ boves immolarentur. Ovidius Fastor. 6, *Forda ferens bos est, fecundaque dicta ferendo. Hinc etiam fetus nomen habere putant*. PARTA vacca fœta, ἡ τοκάς: contra EXPARTA, quæ parere desiit, effœta. Glossæ, *Exparta, partu vacua*. Varro de re rust. 2, *Ætate potius ad fructus ferendos integræ, quam expartæ*. Columella 7, *Exparta nutrici consociata minus laboret in educatione fœtus*

sui. Item a diversa cornuum forma bos LÆVUS, cujus cornua terram spectant; LICINUS, cujus cornua sursum versus reflexa sunt; CAMURUS, qui conversa introrsus cornua habet, contra PATULUS, cui cornua diversa sunt & late patent: ob quod plaustris & aratris aptus est, Græcis dicitur πάταλος & πατάλις: qua forma Plautus Truculento, *Ut ego me ruri hamaxari mavelim patulem bovem*. Equus variis rebus & usibus destinatur, ut vecturæ, agriculturæ & admissuræ. Hinc VECTARIUS, qui vehit vel aptus est ad vehendum. Varro lib. 2, *Qui vectarios facere vult*. JUGALIS, qui curru junctus intra jugum sive temonem decurrit; Græcis ζύγιος dictus, ὁ ὑπὸ τῷ ζυγῷ ἵππος: contra FUNALIS, qui extra jugum decurrit, sive ante, sive ad latera adjunctus sit: inde appellatus, quod fune sive loro aut catena exterius vagatur, ut in quadriga duo jugales, duo funales, dexter & sinisterior. Græcis vocatur παρώριος vel σειραῖος Sophocles Electra, δεξιόν τ' ἀνεὶς Σειραῖον ἵππον εἶργε τὸν προσκείμενον *dextro funario laxans habenas attrahebat in firmum*. Suetonius Tiberio, *sinisteriore funali equo*. Statius Thebaidos 6, *funalemque Thoam*. Ausonius Epicedio Phosphori: *Pegasus hinc dexter currat tibi, Lævus Arion Funis eat, quartum det tibi Castor equum*. ADMISSARIUS, qui admittitur ad coitum, quasi maritus equarum, quod periphrasi poetica de-

center expressit Virgilius Georgicor. 3, *Quem legere ducem, & pecoris dixere magistrum*. SAGMARIUS idem qui *Clitellarius* & *Dossuarius* & *Sarcinalis* apud Lampridium in vita Heliogabali. Nomen habet a *sagmate*, quod stratum significat, quo sarcinæ aptantur. Isidorus *sagma*, *quod corrupte vulgo Selma dicitur*, *stratum sagorum vocatur*. Unde Caballus Sagmarius. ASINUS alius est PLOSTRARIUS, qui plaustra trahit, alius DOSSUARIUS, ut nominat Varro lib. 2, qui onus dorso fert, alius CLITELLARIUS, qui & ORNATUS dicitur Catoni, ab impositis *clitellis*, id est, sellis dossuariis. Apulejus Metamorph. 10 de se asino: *Sarcinis propriis onustum & prorsus exornatum armatumque producunt in urbem*. Alius MOLARIUS, qui molas frumentarias versat, Cato 10 & 11, idem dicitur ab Africano tit. de legatis 3 & Ulpiano tit. de instr. & instrum. leg. MACHINARIUS eo, quod catillum sive machinam infixam molæ frumentariæ trahit & volvit. Nam asini solebant agitare *molas versatiles*, quas Cato vocat *asinarias*, sicut servi *trusatiles* & *pistrinarias*: ex quo Catullus ait, *Et non pistrino traditur atque asino*, id est, datur ad molas trusatiles & versatiles. Quanquam nonnulli asinum machinarium in libris Jurisconsultorum accipiunt eum, qui tympanum rotamve, qua aqua de flumine aut puteo tollitur, versat: quibus non consentio.

Digitized by Google

Pecudes minores, ut Ovis, Sus, Capra, &c.

V. Post majores pecudes ovilli generis prima ratio est, si utilitatis magnitudo spectetur. Nam simul & corporibus nostris vestitum præbet, & casei lactisque abundantiam, & carnis lautissimæ dapes subministrat. Quod Virgilius scite expressit: *Inque tuendos Natum homines, pleno quæ fertis in ubere nectar, Mollia quæ nobis vestras velamina lanas Præbetis, vitaque magis, quam morte juvatis.* Oves autem varie cognominantur: AGNÆ, quæ nondum dentes ediderunt: BIDENTES, quasi *Biennes*, interposita D littera, id est, duorum annorum, ut tradit Gellius; aut a dentibus duobus eminentioribus, quibus ad sagrificia censebantur aptæ: etiamsi illos non sola ovis bima, sed & alia pecus habet, cum ad bimatum adscendit, teste Hygino. Glossarium. Bidentes *διόδοντα πρόβατα*. AMBIDENTES, quæ superioribus & inferioribus sunt dentibus. ADASIÆ, vetulæ recentes a partu. Isidorus in Glossis, *Adasia ovis major natu*. APICÆ, quæ non amplo corpore sunt, nec multam lanam habent circa collum ac ventrem. Nam *ἄπαχος* est glaber. MINÆ ventre glabro sunt. Varro 2 & Plautus Truculento, *Perperas minas oves*. DELICULÆ vel ætate vel morbo delinquunt & deficiunt, ut *armenta delicula*, Cato 11. REICULÆ ob vitium aliquod rejiciuntur & alie-

nantur, ut minæ, perperæ: INCIENTES sunt vicinæ partui: PUSTULOSÆ corripiuntur sacro igne, quem *Pusulam* vocant pastores, eo quod pus contineat & pustulas cuti imprimat. PASCALES passim in nemoribus & montibus pascuntur, eædem HIRTÆ & SOLOCES, quod lana crassa & squalida, quæ Solox dicitur, conteɛtæ sint. Lucilius: *Pascali pecore ac montano, hirto atque soloce.* Quibus opponuntur PELLITÆ, quæ propter lanæ bonitatem pellibus integuntur, ne lana inquinetur, & in tenerrimis pascuis aluntur, ut sunt Tarentinæ & Atticæ. Horat. Carmin. 2, *Dulce pellitis ovibus Galesi flumen.* PECULIARES vel PECULATORIÆ, quæ servis aut filiis familias sunt in peculio; sicut *Peculiares servi & ancillæ*, quæ adolescentulos aut puellas seɛtabantur & curabant, proprio sibi ministerio. Plaut. Asinaria: *Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oves, Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.* Captivis: *Parvolum peculiarem parvolo puero dedit.* Persa: *Sophoclidisca hæc peculiaris est ejus, quo ego missus sum.* Præterea agni dicuntur CORDI, serotini, ut qui post x Cal. Augusti nascuntur, vel qui post tempus gignuntur, ac remanserunt in volvis sive membranis involuti, quæ Græci vocant χορίον, auɛtore Varrone, sicut *Cordum fœnum* autumnale, quod autumno secatur, & *corda frumenta*, quæ sero maturescunt: *olus cordum* apud Ce-

ſumellam. DEPULSI, qui a materno lacte depelluntur, Virgilius, *depulsos matribus hœdos*. SUBRUMI lactantes. Nam *Rumis* sive *Rumia* est mamma. Varro de liberis educandis : *Ruminæ propter rumam, id est, prisco vocabulo mammam : a quo ſubrumi etiam nunc dicuntur agni*. MUSTEI recens ablactati & in pascua ducti, Cato in oratione *de agna mustea pascenda*. *Sus* culinæ rusticæ uberrimos apparatus præbet, & ganeæ exquisitam materiam, quam Censoriæ leges sæpe coercuerunt, interdixeruntque cœnis abdomina, vulvas, & alia gulæ irritamenta. Nam sapidissima omnium pecudum æstimatur vulgo suilla caro, ut ait Plautus in Milite, *Occisam sæpe sapere plus multo suem cum manducatur*. Hæc ubi peperit FETA dicitur: ubi omnem ſetum ad utrumque latus circum se habet CONFETA, qualis ad sacrificium adhibebatur, teste Festo. Quæ semel tantum peperit, PORCETRA: quæ sæpius SCROFA. Verres castrati mutant nomen, atque dicuntur MAJALES. Porci a mamma depulsi *Lactentium* nomine omisso DELICI appellantur. A partu decimo die puri & integerrimi dicebantur SACRI sive, ut antiqui loquebantur, SACRES, quod tum primum idonei ad sacrificia, quæ Laribus agno & porco fiebant ab iis, qui insani fuerant, aut piaculum aliquod admiserant, aut liberorum prole familiam auxerant, ut ex Plauti Menæchmis & Rudente con-

stat; iidem MYSTICI Tibullo dicti 1, 10 *Hostiaque e plena mystica porcus hara*. NEFRENDES, quod nondum fabam frendere, hoc est, frangere possunt. Terentius Scaurus de orthographia: *Ne pro non positum est, apud antiquos, ut* Nefrendes porci, *qui fabam frendere non possunt*. SERARII, qui sero pasti sunt: Cato 151. COLLUVIARIS, qui omnigeno potu nutritur, cibo permixto.

De canibus & eorum diversis generibus & usibus.

VI. *Canis* etsi pecudum numero non est, ut recte censent jurisconsulti, quoniam pabulo non pascitur, tamen instrumento continetur. Nam & nocturnas vigilias agit, pro tutela domus ac villæ, & custos est pecoris, quod eo comite defenditur, maxime Ovillum & Caprinum: cui inermi generi lupi insidiantur, nisi Canis opponatur defensor. Itaque alius dicitur DOMESTICUS sive VILLATICUS, alius PASTORALIS & PECUARIUS, alius VENATICUS. *Domesticus* intra villam & ædificium excubat, vel libere circumiens, vel catena per diem vinctus & noctibus solutus. Unde dicitur *catenarius*, qui etiam in urbe domus custos ad januam accubabat. Seneca de ira 3, *Irasceris ergo catenario cani? & hic cum multum latravit, objecto cibo mansuescit*. *Pecuarius* pastorem apud gregem comitatur: in quo maxime

Digitized by Google

requiritur fortitudo & acritas, ut lupum aliasve feras repellere, aut raptores persequi & prædam eripere possit. Tales olim laudatissimi fuerunt MOLOSSICI sive EPIROTICI. Virgilius Georgic. 3, *acremve Molossum Pasce sero pingui:* & ALBANI magnitudine ac robore præstantissimi, ut qui parvas feras contemnentes, leones & elephantos prosternerent. Venaticus indagine vel cursu & labore feras prosequitur. Est enim alius *Vestigator*, qui præcipua sagacitate feræ latebras & vestigia scrutatur ac prodit; de quo Ennius Annal. 10, *Veluti si quando vinclis venatica velox Apta silet cani: forte feram si ex nare sagaci Sensit, voce sua nictit ululatque ibi acute*. Alius *Emissarius* ac *Vertagus* sive *Vertrahus* dictus, ex eo quod feram trahat ad dominum. Martialis Epigram. 14, *Non sibi sed domino venatur vertagus acer, Intactum leporem qui tibi dente refert*. Gratius: *Et pictam maculam vertraham delige falsa*. Ejus generis celebrantur ob velocitatem LACONICI sive SPARTANI, unde Virgil. Georgic. 3, *veloces Spartæ catulos*. Horatius Epodo, *Nam qualis aut Molossus aut fulvus Laco Amica vis pastoribus*. Ammianus 29, *Ad observandam venaticiam prædam Spartanum canem retinere dispositus*.

Digitized by Google

Aves villaticæ, terrestres & aquatiles, Gallinarum tria genera.

VII. *Aves* instrumento fundi contineri volunt jurisconsulti, si reditus & fructus ex iis percipiantur, ut si intra septa villæ sint cortes, aviaria, & aquatilium receptacula, quæ venditorum animalium pretio uberrimum quæstum præbent, & mensam pretiosis inemtisque dapibus exornant, denique fimo vineas & arva lætificant. Quod si fundus non est ita instructus, ut septa & stabula avium habeat, sed unius generis aves quasdam, puta gallinas vel anates; hæ nihilominus instrumento continentur; quoniam earum cura colono maxime necessaria est, propter quotidianum proventum, & saginam lautissimam, quam suppeditant. Avium vero villaticarum aliæ terra modo sunt contentæ, ut gallinæ, columbæ, pavones, turdi, turtures, phasiani; aliæ etiam aquam requirunt, ut anseres, querquedulæ, anates, cygni. *Gallinæ* sunt trium generum, *Villaticæ*, *rusticæ* & *peregrinæ*. *Villaticæ* rure nascuntur in villis; quæ si adhuc effetæ non sunt & pullos edunt, appellantur PULLITRÆ, quibus contrariæ VETULÆ aut *Veteranæ*. Varro de re rustic. 2, *Potius vetulis quam pullitris*. Quæ sunt humiles & curtis pedibus PUMILIONES, sicut *Pumilios* homines brevi & humili corpore, paulum supra terram ex-

Digitized by Google

tantes Suetonius Augusto vocat, *Pumiliones* Gellius 19, *Pumilos* Papinius Silvar. 1, *Hic audax subit ordo pumilorum*. *Rusticæ* pullos & ova edunt in silvis, neque sunt mansuetæ, sed ab aucupe capiuntur & ad cibos delicatos parantur. *Peregrinæ* propter amplitudinem & speciem corporum nobiles ipsæ, patrias quoque suas nobilitarunt, a quibus complura & diversa nomina habuerunt, ut *Africanæ* sive *Numidicæ*, *Chalcidicæ*, *Medicæ*, *Rhodiæ*, *Tanagricæ* a Tanagra urbe Atticæ. Ex his *Medicæ* erant similes facie gallinis vulgaribus, corpore majore, pedibus oblongis, quales nos *Longobardicas* vocamus. *Africanæ* grandes, variæ, gibberæ, rutilam comam & cristam in capite gerebant; quas utrasque cæruleas habebant *Meleagrides*, ut testatur Columella. Itaque falluntur, qui putant *Meleagridas* vel *Africanas* esse nostras gallinas Indicas & *Turcicas*, ut vulgo appellantur, quas scimus non habere cristas, sed palearia tantum. De reliquis avium generibus videndi rerum rusticarum scriptores.

Instrumenta inanima & muta trium generum; & quæ fructus quærendi gratia parata.

VIII. Restat alterum genus instrumenti rustici, inanimum & mutum, quo comprehenduntur ea, quæ fructus quærendi, colligendi, conservandi gratia parata sunt. Quærendi velut frumentum, quod

serendi causa sepositum est, & vasa, quæ culturæ serviunt, ut escaria & potoria ad ministerium operariorum in messe & vindemia. QUALA SATORIA, in quibus semina feruntur ad sementim. TRIMODIÆ SATORIÆ, e quibus jaciuntur. URCEI AQUALES sive AQUARII, quibus aqua fertur ad irrigationem arborum & vitium. Quæ genera vasorum intelligit Ulpian. tit. de instr. & instrum. leg. 8, ubi inter instrumenta fructus quærendi refert *vasa, quæ utilia culturæ sunt*. Item ferramenta, pedamenta, pali, ridicæ, falces putatoriæ, crates. Ferramenta sunt necessaria ad culturam arvorum, hortorum & vinearum, ut ARATRUM terræ proscindendæ ad sementim; cujus partes *Stiva*, *Buris*, *Culter*, *Vomer*, *Temo*, *Ralla*, quæ est stimulus ferratus, quo vomer detergetur & terra inhærente liberatur: sic dicta a radendo. Plinius 18, 19, *Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus Ralla*. RUNCINA, SARCULUM purgandis hortis, segetibus & vineis. *Runcare* enim & *Averruncare* est ex agro noxias herbas evellere, *Sarrire* leviter purgare sata. IRPEX compago e pluribus dentibus ferratis, quam jumenta trahunt, ut eruant, quæ in terra serpunt. Cato vocat *Urpicem*, Græci ὀξίνα. Hesychius ὀξίνα ἐργαλεῖόν τι γεωργικὸν σιδηροῦς γόμφους ἔχον ἑλκόμενον ὑπὸ βοῶν. RASTRUM lignum itidem dentatum confringendis glebis & terræ in aratione exæquandæ, a quo

ὑποχοριστικῶς RASTELLUM, quo stipulæ raduntur, & fœnisicii cumulo adduntur. RUTRUM ligneum in ima parte patens & cavum, quo terra arenave corruitur in cumulum, aut calx vel lutum subigitur, aut fruges conjiciuntur in modium; Græci vocant χρωπίον. Ejus diminutivum *Rutellum* usurpat Lucilius Satyra 9, *Frumentarius est, modium hic secum atque rutellum Unum adfert:* ubi nonnulli perperam censent esse instrumentum hostorium ad æquandam mensuram, quod Græce ῥόχϖον. RUTABRI noxia eruunt e terra, ut auctor est Varro L. L. 4. CAPREOLUS ferramentum bicorne ad terram comminuendam, in plantatione herbarum hortensium. LIGO, BIDENS instrumenta ferrea fossoria. MARRA itidem ferrea, exscindendis herbis inutilibus comparata, ut sarculum, runcina. Juvenalis: *ne marræ & sarcula desint*: Columella 10, *Contundat marræ, vel fracti dente ligonis*. Plinius 23, Verno seri debet, liberarique ceteris herbis, ad trimatum marris a solo radi. PALÆ ferreæ, planæ, quibus terra foditur & fossa vel egeritur, vel aggeritur, ut BIPALIUM pala duplo latius; unde ei nomen. Plaut. Pœnulo: *Palas vendundas* sibi ait. Columella 10, *Tum mihi ferrato versetur robore palæ Talis humus*. PASTINUM vineaticum instrumentum bifurcum, quo semina in scrobes demissa panguntur. PEDAMENTA, PALÆ, RIDICÆ sunt sustentacula vitium,

quæ Plinius optima commemorat e salice, robore, olea, arundine, junipero, cupresso, sambuco, castanea. CRATES & SIRPEÆ sunt vehicula e viminibus contexta, quibus stercus evehitur. Unde *Crates & Sirpeæ stercorariæ* apud Catonem. Varro L. L. 4, *Sirpea, quæ virgis sirpatur, id est, colligando implicatur, in quo stercus aliudve quid evehitur*. Virgil. Georg. 1. *Vimineasque trahit crates*, quod Servius male exponit, *ad agrorum scilicet exæquationem, quam rustici Irpicem vocant*. Nam poeta intelligit agrorum stercorationem, ad quam adhibentur Crates, multum diversæ ab Irpice, de quo ante dixi. *Falcis putatoriæ* multiplex usus est, & species diversa, ut ARBORARIA, SILVATICA, VINEATICA sive VINITORIA, putandis arboribus, silvis, vineis. LUMARIA resecandis lumis, id est, herbis spinosis in agris. RUSTARIA rubis sentibusque, qui per agros serpunt. Nam *rustus* est rubus auctore Festo. SIRPICULA amputandis ligamentis, quibus sirpantur & adligantur fasces, incisi fustes. STRAMENTARIÆ desecandis stramentis extantibus in segete post messem.

Colligendi fructus causa parata instrumenta & primum messis.

IX. Colligendi fructus causa parata instrumenta sunt varii generis: nonnulla serviunt messi, quæ-

Digitized by Google

dam fœnisecia, alia vindemiæ, oleitati, lacticinio, florilegio. Messis instrumentis seges matura demetitur, deinde exsiccata in horreis conditur, tum excutitur atque purgatur. Cui rei parantur FALCES MESSORIÆ sive ADOREÆ, id est, frumentariæ, Trahæ, Tribula, Vanni, Furcillæ, Corbes. Falcium variæ formæ pro locorum regionumque varietate, reperiuntur. LUNATÆ, quibus fruges robustioris culmi, ut triticum & siliginem demetunt, dextra secantes stipulam secundum terram, sinistra autem unco prælongo convolventes & in fasces cogentes resecata. *Sicilas* hodieque vocant, (Germ. *Sicheln*) a prisco verbo sicilire, id est, secare; unde Sicilimentum pro fœno secto apud Catonem. Glossæ *Sicila* σμίλα χαρποτόμος. VERRICULATÆ sunt majusculæ longo manubrio, perinde ut falces fœnariæ. His in modum verriculi adfixis ligneis quasi cratibus utraque manu segetem præcidunt, stratamque longo ordine in fasces alligandam reliquunt. ROSTRATÆ, DENTICULATÆ nominantur ex eo, quod rostrum, dentes habent: sicut TRIBULATÆ, quæ tribulum, quibus solebant filicem abscindere, ut tradit Palladius. TRAHA, TRIBULUM, FLAGELLA, FURCILÆ usurpantur ad excutienda e spicis in aream grana, etsi forma & usu multum distent. Nam *Traha* est asserum compago dentata cum orbiculis, quæ bubus per aream trahitur ad frumenta excutienda. *Tribulum*

sive *Tribula* est tabula ferro vel lapide asperata, quam trahunt jumenta juncta, insidente auriga, vel grandi pondere addito. *Triblas* vocat Cato 135, *Plostrum Pœnicum* Varro. Virgil. Georg. 1, *Tribulaque trabæque & iniquo pondere rastri. Flagella* sunt bacilli loreis vinculis penduli e fuste, quem trituratores manibus tenentes, tundentesque spicas flagellis excutiunt grana. *Furcillæ* sunt ferreæ dentatæ, quibus frumenta moventur, & ubi fuerint excussa stramenta, extra aream ejiciuntur. Unde *furca* sive *furcilla expellere* proverbii specie dicitur, pro eo, quod est vi ejicere. Cicero ad Atticum 16, *sed quoniam furcilla extrudimur*. Catullus: *Musæ furcillis præcipitem ejiciunt*. Horatius: *Naturam expellas furca, tamen usque recurrit.* MERGÆ sunt furcæ ferreæ, quibus spica legitur, vel acervi fiunt; *dictæ a mergis volucribus. Ut enim illi se in aqua mergunt, dum pisces persequuntur; sic messores eas in fruges mergunt, ut elevare possint manipulos*, auctore Festo. Plaut. Pœnulo: *Palas vendundas sibi, mergas datas.* PECTEN ligneus manubrio affixus, quo paullo longius a terra interposito extans spica proscinditur, quemadmodum fit in capilli tonsura per pectinem. Colum. 2, 21, *Multi mergis, alii pectinibus spicam ipsam legunt, idque in rara segete facillimum, in densa difficillimum est*. Plin. 18, 30, *Panicum & milium singillatim*

tim pectine manuali legunt Galliæ. VANNUS, VALLUM, VENTILABRUM sunt instrumenta viminea lata, forma plana: quorum motu vel jactu ad ventum, frumentum excussum purgatur, ut quod levissimum sit in eo, atque appellatur ACUS vel PALEA, evolet; ac quod est ponderosum, purum remaneat. CORBES sunt sportæ vimineæ aut sparteæ, quibus frumenta feruntur & dimetiuntur: sicut veteres etiam vina metiebantur per corbes, quas picatas fuisse verisimile est. Ovid. *habitu duri messoris aristas Corbe tulit*. Cato 137, *Parte octava corbi dividat*. Ulpian. tit. de peric. & comm. rei vend. l. 1, *de mensura vini dolearis: faciendum quod veteres putaverunt, per corbem venditorem mensuram facere & effundere*.

Fœnisiciæ instrumenta.

X. Fœnisiciæ instrumenta sunt FALCES FŒNARIÆ, RASTELLI LIGNEI: illis fœnum maturum secant; his exsiccatum & arefactum contrahunt in acervos, deinde in metas extruunt, stipulasque de pratis, quas fœniseces præterierunt, eradunt. FURCÆ ferreæ dentatæ, quibus fœnum demessum versant, & exsiccatum componunt, pabulumque pecoribus ministrant; Cato 10 vocat *ferreos*, tacito furcæ nomine.

Vindemiæ instrumenta. Torcularis descriptio particularis.

XI. Vindemiæ parantur FALCULÆ & UNGUES FERREI, quibus uvæ maturæ desecantur, ne vindemiatoris manu distringantur & lædantur. CORBES & CORBULÆ, quæ ab oppido Ameria dicuntur Amerinæ, ut Amerina retinacula, Virgil. Georg. 1. FISCI, FISCINÆ corbulæ breves, in quibus uvæ desectæ reponuntur & deferuntur, unde Nævius poeta proverbialiter dixit, *In pectus tuum, tanquam uvam vindemiator in fiscinam*. Etsi in corbibus etiam spicæ, grana, in fiscinis paleæ, semina, frondes, & id genus reliqua portantur: ex quo Plinius *fiscinas frondarias* nominat. Eidem rei sunt DECEMMODIA, TRIMODIA, sic dicta a mensura decem, trium modiorum. ALVEUS, LINTER, NAVIA a navis similitudine appellantur vasa concava uno e ligno exsculpta; in quibus portantur & servantur collectæ uvæ, donec perveniant ad torcularium Tibullus 1, *Hæc mihi servabit plenis in lintribus uvas*. Servius in illud Virgil. Georg. 1, *cavat arbore lintres. Alii*, inquit, *lintres, in quibus uvæ portantur, accipiunt*. Festus, *navia est ex uno ligno exsculpta, ut navis, quo utuntur alveo in vindemia*. QUALI vindemiatorii exceptoriique sunt corbes vimineæ, in quibus uvæ feruntur, ut in canistro, apud Ulpian. tit.

de instr. & instrum. leg. l. 8, quamvis etiam QUALI & COLA sunt vasa viminea, vel juncea aut spartea, per quæ liquatur & defluit calcatis uvis. Cato 11, *Cola vitilia* 111, *cola, qui florem demant*, id est, primum liquorem & optimum, qui flos vini est. Virg. Georg. 2, *tu spisso vimine qualos Colaque prelorum fumosis deripe tectis*. Præterea colum nivarium vas erat ex lapide spongioso factum, quo aquam ex nivibus colare solebant delicatuli, ut æstivo tempore frigidius biberent. Martialis: *Attenuare nives norunt & lintea nostra, Frigidior colo non salit unda tuo*. His annumerandus SACCUS VINARIUS, quo per colaturam vina franguntur & castigantur, redduntur que mitiora, defecata & liquida, vel etiam odoratoria & magis grata, injectis in sacco aromatibus: qua ratione comparatur *vinum Hippocraticum* vulgo dictum; Martial. *ut liquidum potet Alauda merum Turbida sollicito transfundere Cæcuba sacco*. CRATES texta viminea, in quibus planis super terram uvæ & fici stratæ siccantur, vel erectis & acclinatis in testudinis morem, a rore, pluvia & frigore defenduntur: cui usui sunt *crates ficariæ* Catonis 49. SPORTÆ FÆCARIÆ prelo suppositæ fecem excipiunt, unde vinum fæcatum exprimitur, ut Cato docet 154. URCEI MUSTARII, quibus mustum progeritur in labra, hodieque mustum bibitur. URNÆ SPARTEÆ & AMPHORÆ SPARTEÆ ad vi-

num diffundendum in dolia, quæ picatæ non tam facile, quam fictiles franguntur. CORTINÆ sunt vasa ænea patula, defruto sapæque coquendæ accommodata, & *Cortinale* locus ubi fit: licet *Cortinæ* quoque sint vasa tinctorum & infectorum, in quibus coquunt pannorum pigmenta. TORCULARIUM & TORCULAR machina est uvis premendis ac torquendis apta: etsi quandoque significat locum vel ædificium, ubi vindemia perficitur. Hujus descriptio exstat apud Catonem, quæ varii generis instrumenta habet, *tractoria*, *funaria*, *pressoria*, de quibus singulatim dicemus. PRELUM est trabs, qua uva calcata premitur: quod Cato de carpino atra potissimum faciundum præcipit ob duritiem ejus arboris, ex qua boum juga olim fabricabantur, Vitruvio teste, & manubria rusticis fiebant, ut tradit Plin. 19, 6. LINGULA est novissima pars preli, quæ inter duas arbores rectas inseritur in modum linguæ. FIBULÆ sunt clavi lignei, qui per tabulas tignave trajiciuntur, ut ea constringant: & CONFIBULÆ sunt tanquam duplices fibulæ, quæ, si quando partes dishiascent, ad constringendum utrimque adhibentur. ARMILLÆ sunt annuli ferrei cavati, in quibus vertibula versantur. SUBSCUDES sunt tabellæ ligneæ, quibus immissis asseres aut tigna compinguntur: sic dictæ a succudendo, quod locus, cui inseruntur, cudendo scalpris excavatur, & ipsæ ictu mallei im-

Digitized by Google

mittantur. Pacuvius apud Festum: *nec ulla subscus cohibet compagem alvei*. PEDICINUS est pes tenuis edolatusque, quo arbor inseritur cardini aut suæ basi. SUCULA a suis similitudine vocatur machina tractoria, inter *chelonia* versatilis, circum quam *ductarius funis* obvolvitur: cujus ope trajectis per foramina vectibus, prelum tenditur vel subducitur, & trabes attolluntur, vasa vinaria ex apothecis educuntur. PORCULUS est paxillus vel uncus in medio suculæ fixus, ut teneat funem, qui suculam circumplexus simul versatur. MELIPONTI sunt funes longissimi & crassissimi, sic dicti, quod melius premant. Nam *pontare* pro deprimere etiam hodie mechanici usurpant. CAPISTRUM est retinaculum, quo prelum subductum tanquam freno retinetur, ne subsidat decidatque. TROCHLEA est machina tractoria cum rotulis vel orbiculis æreis aut ligneis, qui per ariculum versantur, trajectis ductariis funibus, quibus relevatur prelum. Nomen habet a τρόχω, id est, rotula, fitque ad similitudinem Græcæ literæ Θ, auctore Isidoro. FORUM est pars torcularis, in quam uva defertur, ut prelo subjiciatur. Varro appellat forum vinarium. PATIBULA sunt fustes validiores, quorum usus in torculari ad aliquid moliendum, muniendum ferendumve. Titinius Fullonibus: *Si quisquam hodie præter hanc Posticum nostrum pepulerit patibulo hoc Ei caput defringam*:

Ubi Nonius minus recte, *patibulum est sera, qua ostia occluduntur, quod hac remota valvæ pateant*. Non enim a patendo, sed a patiendo dictum patibulum. VECTES sunt pali robusti, quibus per foramina trajectis, machina tractoria & sucula circumagitur ab operariis, aut prelum torquetur. Eos Cato in premendo fortiter prelo adhibet longos triplici ordine, pro numero scilicet eorum, qui premunt: in torquendo leviter & remisse breves, quos vocat *remissarios*.

Oleæ legendæ & premendæ instrumenta.

XII. Oleæ legendæ & premendæ serviunt DIGITABULA, tegumenta digitorum, quibus pressam oleam strictores ex arbore decerpunt: sic dicta ut acetabula, ignitabula. CORBULÆ DECEMMODIÆ, TRIMODIÆ, quibus districta bacca suscipitur. FISCI & FISCELLÆ sunt quali, in quibus olivæ inclusæ prelo supponuntur, ne fraces & sordes in lacum cum olea defluant: quem usum monstrat Colum. 12, & Ulpian. tit. Locati l. 19 cum ait, *Fiscos autem, quibus ad premendum oleam utimur, colonum sibi parare debere*. CORTINÆ vasa plumbea, in quæ oleum expressum fluit, & inde in labra funditur, ut fraces & amurca liquentur. CAPULÆ vasa ansata quasi Capides minores, quibus oleum depletur, & in fictilia vasa diffunditur: cui rei quoque serviunt CON-

Digitized by Google

CHÆ, ferreæ & rotundæ, ut testatur Plin. 23, ut & Colum. 12, 50. INFUDIBULA, per quæ oleum aut vinum infunditur in vasa angusti oris, ut urceos, amphoras: sicut Vitruvio *infudibulum* est, per quod in molam frumentum decurrit ac transmittitur. SPONGIÆ majores & minores, quibus fiſcinæ aut dolia effinguntur & purgantur: URCEI, quibus oleum progeritur in lacum aut cortinam: UNCI ferrei, de quibus urcei urnæve suspenduntur, vel quibus gestantur. LABRUM olearium vasculum rotundum, in quod oleum transfertur e cortina aut lacu: ut *labrum lupinarium*, in quo lupinus aqua maceratur: *labrum eluacrum*, in quo aliquid eluitur & lavatur: *labrum culleare*, quod capiebat mensuram cullei & vino admetiendo parabatur, ea forma, qua Cato præscribit 55. *Labellum pollulum* est labrum parvulum. GEMELLAR *structile* est, quasi duplex labrum olearium: cui nomen dedit gemina structura. MOLA, CANALIS, SOLEA, TUDICULA, referuntur a Columella inter instrumenta olearia pressoria; sed minora, quam TRAPETUM, quod Varro 1 ait esse *molam oleariam e duro & aspero lapide;* Colum. 12 a mola separat, & pro trabe accipit, qua oleum exprimitur: Cato totam constructionem & fabricam intelligit, in quo ORBIS est ipsa olearia mola, quæ in trapeto vertitur, & oleam terit. MOLILE scapus vel manubrium, quo mola impellitur & circum-

agitur. MILIARIUM vas angustum & longum milii forma, quod sub trapeto ponitur ad excipiendum liquorem: etiamsi alios quoque usus præstat, in culina, in balneo, ad aquam calefaciendam; quod ad Catonem notavi. TYMPANUM est machina tractoria versatilisque, quæ prelum tendit, deprimit aut sustollit: sicut *tympana* appellata mechanicis axes, quorum capita habent foramina, quibus inditis vectibus, iisque funibus advolutis pondera vel protrahuntur, vel sustolluntur, ut est apud Vitruvium, Oribasium, & alios. Ulpian. tit. Locat. 69, *quod si regulis olea premitur, & prelum, & suculam, & regulas, & tympanum, & trochleas, quibus relevatur prelum, dominum præstare oportere.* Ubi REGULÆ sunt tabellæ ligneæ oblongæ, quibus, ut in fiscis, imposita bacca prelo subjicitur & exprimitur. Colum. 12, suspensa mola oleam frangito, eamque vel in regulas, vel in novos fiscos adjicito. Ibid. Aut regulis, si consuetudo erit regionis, aut certe novis fiscinis sampsæ exprimi. Plin. 15, *exilibus regulis pede incluso.*

Lacticinii instrumenta.

XIII. Lacticinii instrumenta sunt MULCTRA sive MULCTRUM, vas in quod lac mulgetur, sive sit arna ahenea sive lignea. *Mulctralia* dixit Virgilius

Georg. 3, *implebunt mulctralia vaccæ*. *Mulgaria* Valgius poeta. *Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis Et sinum vini cessamus ponere Baccho*. CYMBIUM est vas poculum a cymbæ figura dictum, in quo lac servare, & diis manibus libare solebant: etsi Varro *cymbia* refert inter vasa vinaria: Plin. 37, 8 inter pocula, Virgil. Æneid. 3, *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte*. Statius Thebaid. 6, *capti gratissima cymbia lactis*. SINUS & SINUM vas rotundum capace alveo, in quo lac retinetur & deportatur, atque olim etiam offerebatur diis minoribus rusticis, ut Priapo, Rumiæ, ex qua consuetudine dixit Virg. Eclog. 7, *Sinum lactis, & hæc te liba Priape quotannis Expectare sat est*. Quamvis *sinum* etiam vas vinarium est, de quo Varro lib. 1, de vita pop. Rom. *ubi erat vinum in mensa positum*, *aut galeola aut sinum*. Ibid. *Item erant mala vinaria, sini, cymbia, culignæ, pateræ, gutti*. FISCELLA, CALATHUS, FORMA caseo faciendo adhibentur, suntque vasa viminea vel juncea, in quæ lac coagulatum transfertur, ut serum percoletur, & caseus formetur: quod nunc fere faciunt in formis ligneis perforatis. Glossarium, *fiscella, forma, ubi caseus exprimitur*. Tibullus: *Tum fiscella levi detexta vimine junci Raraque per nexus est via facta sero*: quem postremum versum Ovid. Fast. 4, ita æmulatur: *Dentque viam liquido vimina rara sero*. Co-

Digitized by Google

lum. 7, *liquor in fiscellas, aut in calathos vel formas transferendus est.*

Florilegii & fructuum hortensium colligendorum instrumenta.

XIV. Florilegio & fructibus hortensibus colligendis parantur instrumenta viminea, *Corbes & Sportæ*, *Storeæ* e funibus aut junco, *Tegetes* canneæ, vel cannabinæ, quibus subjectis, ficus, uvæ, poma soli exponuntur & siccantur. Item SIRPICULI, canistra sirpea, vel quod e sirpo junci genere contexuntur, vel a sirpando, id est ligando appellati: quamvis apud Plautum Captivis etiam sunt *sirpiculi piscarii*, scilicet nassulæ sive sportulæ sirpeæ piscatorum; & apud Varronem in vinea *sirpiculi jugorum*, Colum. de cultu hortorum: *cavo jam vimine textum scirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis*. Lucilius Satyr. 15, *Tintinnabulum abest hinc, Scirpiculique olerorum*, etsi Scaliger ibi legit *scirpiculæque*, & putat esse duo genera vehiculorum *Tintinnabulum* & *Sirpiculam*, diminutivum a sirpea. Ego arbitror, Lucilium loqui de venditione olerum, quæ, ut ex Horatio & Apulejo constat, olitores vendebant imposita caballis vel asinis, ad quorum colla forte erant suspensa tintinnabula, quæ etiam hodie jumentis & minoribus pecudibus aptari solent: vel tintinnabulum ad venditionem olerum signifi-

Digitized by Google

candam adhibebatur, sicut apud Græcos in venditione piscium fieri solebat, ut testatur Strabo 14 & Plutarch. Symposiac. 4, 4. Plautus in Pseudolo cum ait, *lanies inde accensam duos cum tintinnabulis*. Intelligit compedes vel catenas, quæ, ubi moventur, sonant & tinniunt, ut dixit Afran. *Janitoris impedimenta titinnire audio.*

Conservandis fructibus destinata instrumenta, Cellæ, Apothecæ, Cisternæ, Horrea, &c.

XV. Conservandis fructibus deserviunt Cellæ, Apothecæ, Cisternæ, horrea, granaria, vasa, ollæ. CELLÆ & APOTHECÆ sunt diversorum generum, vinariæ, oleariæ, penuariæ, torculariæ, defrutariæ: CISTERNÆ ad vini custodiam effodiuntur & construuntur; quod si cui mirum videatur, is sciat etiam LACUS VINARIOS in terra depressos vina e torculari excipere, & per canales structos, vel tubos fictiles in dolia defundere, ut tradit Colum. 1, Ulpian. tit. de furtis l. 21, *si cisterna vini sit quid dices? aut aquæ cisterna*. HORREA sunt frumentaria, vinaria, penuaria; quorum mentio est in libris jurisconsultorum tit. de acquir. rer. domin. de instr. & leg. de penu leg. Horatius: *Parcis deripere horreo, Cessantem Bibuli consulis amphoram?* ubi interpres *horrea, in quibus vina vetera reposita erant*, *appellat veterana*, ut Seneca *veteraria* epist. 112, *ad-*

spice veteraria nostra, & plena multorum sæculorum vindemiis horrea. GRANARIA reponendis frugum granis erant destinata, & ex tabulis fiebant, stipitibus vel in terra defixis vel supra terram collocatis. Horum usum in nonnullis provinciis præstabant SIRI, sub terra in modum speluncarum & puteorum effossi, ad recipiendas & conservandas fruges: de quibus Varro & Colum. 1, Plin. 38, Curtius 6. *Siros vocant barbari circa Caucasum, quos ita solerter abscondunt, ut nisi qui defoderint, invenire non possint; in iis conditæ fruges erant.* RISCUS est genus vasis contexti e junco, capaci alvo, utraque parte acuminatum, in quo rustici fruges, vel far molitum hodieque adservant: quem ejus usum an veteres habuerint, nescio; nomen quidem Græci & Latini usurpant; sed pro cista vel arca vestiaria. Terent. Eunuch. *Abi, cistellam domo effer cum monumentis. Ubi sita est? in risco:* quo loco Donatus nomen id esse Phrygium notat, eoque significari cistam pelle contectam. Ulpian. tit. de auro argent. leg. l. 25, *Veluti labatir, riscus;* utrumque vocabulum peregrinum, alterum Phrygium, ut dixi, alterum Græcum, λαβάτηρ apud Hesychium. Pollux 10, 31, κιβώτια οἷς ἀποτίθενται αἱ ἐσθῆτες ῥίσκον παρὰ τοῖς νεωτέροις λέγεται Glossarium: Riscus κιβωτὸς μεγάλη.

Vasa vinaria majora, Culleus, Cupa, Orca, Seriæ, Dolia.

XVI. Vasa vinaria majora & capaciora sunt CULLEUS sive CULLEUM, quod viginti amphoras capit, urnas quadraginta : *qua nulla est major mensura liquoris*, ait Fannius : eoque vinum vendere & admetiri solebant per labrum culleare, ita ut in vini culleos singulos quadraginta urnas & auctarii loco unam præterea adderent. CUPÆ ligneæ sunt, latæ & vastæ, in quibus vinum novum & recens expressum servatur. Cic. in Pison. *panis & vinum a propola & de cupa*. August. Confession. 9, 8, *Juberetur a parentibus de cupa vinum depromere*. ORCA est genus vinarii vasis magni & teretis, a quo *Urceos* & *Urceolos* dictos putat Horatii interpres. Varro 1, *quæ in Hispania fervore musti ruptæ*. SERIÆ, DOLIA interdum erant decem amphorarum capacia aliquando minora. Hæc oblinebantur & oppicabantur cortice, pice & resina, ne vinum fugeret, unde *oblinire dolia* est obturare, &, contra *relinire* est resignare & aperire. Terent. Heautont. *relevi dolia omnia, omnes serias*. Quanquam in doliis & seriis etiam frumenta condebantur, ut testatur Cato 11, & Ulpian. tit. de verb. signif. l.206, & hoc amplius, dolia erant *olearia*, *amurcaria*,

deacinata, quæ acinis liberata sunt, ubi mustum deferbuit Cato 26.

Minora vaſa vinaria, Cadus, Amphora, Fidelia, Lagena, &c.

XVII. Minora vaſa vinaria ſunt CADUS ſive metretes, qui continet urnas duas, vel ut nonnulli cenſent tres cum dimidia. AMPHORA, FIDELIA, LAGENA, CULIGNA, FESTA, vaſa fictilia vel vitrea, in quæ vinum e dolio vel cupa defundebatur, ac vetuſtas ac nobilitas vino diffuſo quærebatur, obſignatis vaſis, & in tabella appoſito nomine vini, & numero conſularis anni, ut apud Petron. amphoræ vitreæ gypſatæ affixis pittaciis cum hoc titulo: FALERNUM OPIMIANUM ANNORUM CENTUM. Proculus tit. de trit. vino & oleo leg. *Amphoras & cados, in quibus vina diffuſa ſervantur, legatos eſſe*. Horat. Carmin. 3, *Corticem adſtrictum pice dimovebis Amphoræ fumum bibere inſtitutæ*. Idem epiſt. 1, 5, *Vina bibes iterum Tauro diffuſa*. Juvenalis 5. *Ipſe capillato diffuſum conſule potat*. Hinc *vinum Doliare*, quod in doliis eſt, dixit Ulpian. tit. de peric. & comm. rei vend. *Amphorarium*, quod in amphoras diffuſum eſt, idem tit. de trit. vino. Et autem *amphora* e Græco ἀμφόρα, continetque, quemadmodum Columella ſcribit, duas urnas, ſive ſextarios quadraginta, ut vero Metianus & Feſtus, octo

& quadraginta sextarios. Latini vocant *Quadrantal*, quasi vas pedis quadrati sive magni, quo utitur Plaut. Curcul. *modica est, capit quadrantal*. FIDELIA fictilis aut vitrea ad vina & conditanea servanda, apta; quæ capiebat congium, & antiquo ritu cum vino offerebatur diis, ut Fidei a Plautino servo Aularia: *mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam*, atque etiam donabatur causidicis a clientibus, quo respexit Persius 3, *ne invideas quod multa fidelia putet*. LAGENA & LAGUNCULA vas fictile, vel e radicum filis, cum fici tum etiam silvestrium auctore Plin. 16, 31, aut e cucurbita, Colum. 10. Ejus usus plurimus in conviviis, in itinere, in venatione olim fuit, atque etiam hodie manet: sed fere stanneæ aut vitreæ & vimine obductæ *Flossa* vulgo dicitur: Horat. lib. 2, Sat. ult. *Convivæ reliqui minimum nocuere lagenis*. Plin. Epist. 6, *Cum venabere, licebit auctore me, ut panarium & laguncularn, sic etiam pugillares ferat*. CULIGNA dicta a Græco κύλιξ; ut Festus tradit. Cato 133, *Culignam vini dapi*. Idem, *culignam in fœno Græco ponito*. Varro de vit. pop. Rom. lib. 1, *Cymbia, culignæ, pateræ, gutti*. TESTA fictilis ad vina condenda accommodata: quam Horat. vocat Græcam, quod vino Græco primo imbuta fuisset, vel quod Cumis, civitate Græcæ originis facta, ut Martialis: *Cumanam testam*. Juvenal. 5, *Cujus patriam titulumque*

senectus, *Delevit multa veteris fuligine testæ*. His addendus UTER VINARIUS e corio consutus, qui ut ἀσκὸς apud Pollucem inter vasa vini conditoria erat, & in conviviis primo ponebatur, postea TINA: cujus nomen integrum in Belgico idiotismo rustici hodieque usurpant, sed pro vase ligneo, in quo lac, mulsum vel expressum adservatur. Varro de vit. pop. Rom. lib. 1, *antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant*. Apulejus Metamorph. 7, *Vinarios utres ferentes*. D. Matthæus Evangel. 9, οὐδὲ βάλλουσιν οἶνον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς.

Vasa Salgamaria & Salsamentaria.

XVIII. Vasa *Salgamaria* sunt, in quibus conditanea ad cibum, quæ veteres Salgama dixerunt, servantur, ut puta mala struthea, cydonia, melimela, pyra, fici, nuces, rapæ, oleæ. Ejus generis sunt URCEI, ORCULÆ apud Catonem, & alia vasa fictilia aut vitrea, patenti ore, & usque ad imum, æqualia, ut Colum. præscribit 12, 4. SALSAMENTARIA Græci κεράμια appellant, in quibus adservantur sale condita ad diuturnum usum ciborum, ut pisces salsi, carnes, pernæ, muriatæ, & alia, quæ Græcis τὰ τάριχα, Latinis *Salsamenta*, Plauto *muriatica* dicuntur, eo quod in muria servabantur. Est autem *muria* aqua sale commixta, in qua aliquid maceratur aut servatur: licet etiam significet piscium sal-

so-

sorum, præcipue thunni, liquamen. Hujusmodi vasa fictilia sunt CADI SALSAMENTARII, quos nominat Plinius. DOLIA, SERIÆ, in quibus pernas saliri præcipit Cato; ORCÆ angusto ore, specie tereti & uniformi, ad similitudinem orcæ belluæ marinæ. Suidas ὄρκας κεράμια ἀγγεῖα ὑποδεκτικὰ ταρίχων δύο ὦτα ἔχοντα: interpres Horatii ad illud Sat. 2, 4, *Byzantia putruit orca: Olla Græca βόσα, seu vasis genus ore angusto; in formam* καυκαλίω. In his conditas menas & pelamides, viles pisciculos, clientes pauperculi causidicis & patronis suis donabant: quo allusit Persius Sat. 3, *Menaque quod prima nondum defecerit orca*, & Juvenal. 7, *Quod pretium vocis? ficus, petasunculus, & vas Pelamidum.* Præterea VASA STANNEA piscium salsuræ tribuit Plautus: cujus versus apud Festum ita legendos arbitror, *Muriaticam autem video in vasis stagneis Bonam naritam, & canitam, & tagurica, Apuinas fartas, conchas piscinarias*; ubi *muriatica* intelligitur cœna, *stagneis* pro stanneis antiqua scriptura, de qua alibi dixi, *narita* piscis minutus, Græco nomine *Rhina*, Latine *squarus*, *Canita* eadem canicula, nisi quis malit *cornutam*. Utraque Plinio memorata 32, ult. *Tagunia* piscis, qui Athenæo ταγύνισαι. *Aſuinæ*, apuæ pisciculi; e quibus garum optimum conficiebatur, ut refert Plin. 31, 8. OLLÆ serviunt condituris fructuum hortensium, ut pomorum, ficorum,

uvarum, quas inde ollares vocat Cœl. Aurelian. & Martial. 7, *Dulci placenta sordida linit mappam Illic & uvæ collocantur ollares*, Horat. Sat. 2, *venuncula convenit ollis*. Et hæc quidem sunt ipsius fundi instrumenta, quæ rursus habent alia sibi propria, sine quibus nullum omnino opus effici potest. Quam ob causam jurisconsulti instrumento contineri censuerunt personas & res ad usum familiæ rusticæ & pecudum intra villam paratas: de quibus quam potero brevissime dicam.

De instrumentis instrumentorum fundi.

XIX. Villatici opifices & ministri sunt, molitores, pistores, coqui, fabri, fullones, calcarii, qui calcem domino coquunt ad refectionem villæ; textores, lanificæ, focari & *focariæ*, quæ sunt villicæ adjutores, focum curant, ligna adferunt, cibum & pulmentaria coquunt: de quibus fit mentio tit. Nautæ caupon. l. tit. de Instr. & instrum. leg. l. 12 & l. 25. tit. C. de donat. inter vir. & uxor l. 3, ubi tamen *focariæ*, concubinæ quasi focum & larem colentes, accipiendæ sunt. Horum instrumenta cum sint multa & diversa pro ratione artis & operæ, recensentur inter cetera a scriptoribus rei rusticæ, maxime a Catone, FISTULA & PILA FARRARIA ad far pinsendum, PILA FABARIA ad fabam fresam, PILA LIGNEA, in qua tunduntur gra-

na molliora, ut zea: cujus mentio Plin. 18, 11. PILA SEMINARIA ad terendos seminum nucleos. PILUM FABARIUM, FARREARIUM, SEMINARIUM, quo faba, far & semina in pilo sive mortario feriuntur & tunduntur. PILA FULLONICA, in qua tunduntur panni & vestes, ut poliantur. CRIBRA INCERNICULA, quibus frumenta purgantur, antequam molantur, vel pollen a furfurum recrementis discernitur ac separatur. MATEOLA est parvus tudes ligneus ad succudendam & adigendam materiam, dicta a rusticis κατ' ἀφαίρεσιν *mateola* pro materiola; quomodo sæpe dictiones pronuntiabant, ut Plautinus rusticus Truculento, *Cauliator*, *conia*, *rhabo*, pro *cavillator*, *ciconia*, *arrhabo*: nisi est a Græco ματίω. PAVICULA est lignum ponderosum utrimque ansatum, quo sola & silices tunduntur, ut æquentur & solidentur: *pavire* enim & *depavire* est verberare. Hoc major & ponderosior est FESTUCA sive *fistuca*, qua pali & trabes magna vi in terram adiguntur; unde *festucare fundamentum* dixit Cato pro fistucis solidare. FORCIPES ferreæ ad focum ignemque instruendum & ornandum. RUTABULA lignea, quorum usus pistoribus in proruendo igni, panis coquendi gratia, auctore Festo. FOCULUS fictilis, æneus, ferreus, ut ignitabulum, in quo ignis servatur & accenditur, vel prunæ candentes inferuntur mensæ ad calefaciendum cibum. Cicero pro domo: foculo posito in

rostris. Gellius 1, 19, *Tum illa foculum coram eo appoſuit*. TESTUM & TESTUS est vas figulinum vel æneum, sub quo in foco calefacto cinere & prunis superjectis & circumpositis panes, liba, ceteraque dulciaria coquebantur. Unde *testuarium* edulium, quod sub testu calido coquebatur. Varro LL. 4 Ovid. Fastor. 2, *Ara fit, huc ignem curto fert rustica testu:* Et 5, *Stant calices; minor inde fabas, olus alter habebat, Et spumat testu, pressus uterque suo*. BATILLUS instrumentum domesticum ferreum vel ligneum, ad similitudinem palæ, quo cineres & prunæ tolluntur, aut immunditia effertur. Varro 3, *paſtorem cum batillo circumire oportet, ac stercus tollere*. Horat. *latum clavum prunæque batillum*. ROTA AQUARIA sive *tympanum*, quo aqua de puteo aut flumine trahitnr ac tollitur; vel etiam far molitur. Plin. 17, 11, *Rotis etiam quas aqua verset obiter & molat*. RUDIS & RUDICULA est instrumentum coquinarium ferreum vel aheneum, qua versant in aheno elixa, aut spumam detrahunt; Cato: *rudicula agitato crebro*. Plin. 34, *versatum rudibus ferreis aut ferulaceis*. TELA JOGALIS instrumentum textorium, in quo imponitur & convolvitur detexenda tela. Ovid. Metam. 6, *tela jugo juncta est*. AHINEUM, ÆNEUM vel ÆNUM, vas ex ære factum, in quo aqua ad potandum aut lavandum calefit. Cæcil. Hymocide: *quin mæbra licitari ad-*

versum æneum cœpisti sciens. Glossæ. *Æneum λέβης*. Paulus tit. de instr. & instrum. leg. l. 18, *Nec multum refert inter cacabos & ænum, quod supra focum pendet: hic aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur*. Ulpian. tit. locati l. 19, *Item ænum, in quo olea calida aqua lavatur*. AHENUM COCULUM, in quo cibus familiæ coquebatur: quod cepisse culleum non mirum in numerosa familia, qualis rusticorum Romanorum fuit. Plaut. *æneis coculis mihi excocta est omnis misericordia*. Festus: *cocula vasa ænea coctionibus apta*. Isidorus, *cocula ligna arida, vasa ærea*. Quamvis etiam in aheno vinum, sapa, defrutum decoquebantur. Virg. Georg. 1. *Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem. Et foliis undam tepidi despumat aheni*. CATINUS & CATINUM vas escarium fictile, in quo parabantur & apponebantur pulli, pisces, & jurulenta, pulmentaria vel intrita, ut in lance assa; dictum a Græco κάτινος, inde diminutivum *catillus*. His accedebant LINGULÆ, quæ sunt instrumenta plana & oblonga instar linguæ, apta ad miscendum & secandum, ut videre est apud aromatarios. HAMA vas aquarium rotundum, ventre gibboso, compescendo incendio accommodatum, quod Cato refert inter vasa ahenea cap. 136, meminit Juvenal. 14, *dispositis prædives hamis*, & Plin. epist. 10. Paulus tit. de præfecto vigilum, Ulpian. tit. de

instr. & instrum. leg. Sed in quotidiano usu etiam fuisse hauriendæ aquæ indicat Colum. 10, ubi e cucurbita fieri dicit; *aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam*. MATELLIO vas aquarium ansatum, ad similitudinem matulæ, unde nomen invenit. NASITERNA genus vasis ænei, ansati & patentis: quale erat, quo equi in Circensibus post confecta ſpatia perfundi & refici solebant: ita dicta, quod tres nasos, id est ansas haberet: meminit Cato de re rustica. & in orationibus, Plautus, Sticho, Varro & Festus: licet interdum gemino ss scriptum *nassiterna*, quasi a nassa deducatur. SCUTRISCUM est patella a rotunditate scutiformi dictum, sicut & *scutra*, unde *scutula* & *scutella*, de quibus in notis ad Catonem, Cæcil. Hymnide: *quæ narrare inepti est scutras ferventis*. SITULUS AQUARIUS, vas hauriendæ aquæ proprium, quod *Situla* vulgo dicitur; Plaut. *si hanc situlam accepero*. Alius SITULUS BARBATUS vas aquarium humile & concavum, quod Græca voce *Nanus* dicebatur, auctore Festo. SOLIUM vas concavum & patens ut alveus, cujus usus in lavatrina ad pannos lineos emaculandos, vel in balneis ad lavanda corpora. TRULLA fictilis ænea vel lignea, quæ per manubrium cavum e culina in lavatrinam aquam fundit, vel vinum aut oleum in dolia, a *truva*, *truvula* diminutive, deinde *trulla*: etsi etiam vas portorium oblongum, naviculæ in-

star, apud Plautum, Ciceronem, Horatium, Plinium, Juvenalem & Scævolam, vel *lasanum*, in quod ventris onus deponitur, vel cæmentariorum instrumentum trigonum, quo dealbati tectorio muri aut deluti linuntur & complanantur, a terendo, vulgo TRUFFELL. Palladius 1, 15, *trulla æquabimus* & c. 15, *prima trullis frequentetur inductio*. TRULLEUS & TRULLEUM vas est aquarium latius & capacius, quam trulla, sine manubrio cavo, quo manus, Nonio teste, abluuntur. URNA QUINQUAGENARIA, quæ quinquaginta sextarios capit, sive urnas duas cum dimidia. URCEUS AQUARIUS, quo aqua frigida in ahenum infunditur.

De cibariis & vestimentis familiæ rusticæ.

XX. Adhuc continentur cibaria & vestimenta, quæ dominus familiæ præstare cogebatur. Seneca de benef. 3, *aliquid quod dominus præstare servo debet; ut cibarium, vestiarium*. Cibus autem rusticorum non erat omnibus idem, sed alius præfectis & liberis, alius operariis servis & compeditis: nec eadem mensura omnibus, aut omni tempore dabatur. *Panis rusticus* nominatur a Plinio 19, 8, cujus crustæ inspargebatur candidi papaveris semen, ovo affuso inhærens, inferior crusta allio, gitaque cereali sapore condiebatur. Hic fuit vel triticeus, vel siligineus, vel hordeaceus, sive ex solo hordeo,

Digitized by Google

sive ex hordeo & tritico misto, vel denique ex milio, ut testatur Cato 57 & Colum. 2, 9. Vilior *panis cibarius* vel *secundarius* ex farina non cribrata, vilissimus *furfuraceus* vel *acerosus*, furfurum recrementa & aceris paleæque sordes retinens, quem vocat Plautus in Asinaria, & Svetonius Nerone *sordidum*, Terent. in Eunucho *atrum*, Juvenal. 5 *caninum*, quod canibus cum jusculo præberetur, Apicius & Cœlius Aurelian. *Cantabrum*. PULS ex panico pinsito, vel ex milio, vel ex farina hordeacea, aqua cocta, interdum lacte commista: *pulmentarium* coctum vel crudum, quale Catonis, quod habet oleas conditas; *halecem*, id est piscosum salsamentum; salem & acetum; quo postremo designari *poscam*, nonnulli perperam existimant: nam *posca* non fuit inter diaria, sed urbana, nimirum plebeculæ & servorum potio vilis, confecta ex vino mucido, aquæ vel aceto mixto, ut præter medicos indicat Plautus Milite, ubi servus queritur, *alios ebrios* esse *ex optimo vino*, *alios poscam potitare*. Præterea erant inter edulia familiæ rusticæ fici, cæpæ, allium cum sale, olus cordum, moretum, factum e lacte, caseo & herbis, etsi non omne intritum significat: inter dulciaria *panis depsticius*, id est subactus manibus in mortario, placentæ, liba, globuli, spiræ, scriblitæ & similia. Potus LORA, quæ fit vinaceis aqua lotis & perfusis, qua-

si mustum dilutum, *Vinum præliganeum* Catoni, *operarium* Plinio, quod ad usum familiæ operarumque, ex uvis ante justam maturitatem prælectis expressum, per æstatem bibebant; sicut per hiemem mustum. cum aceto, sapa, & aqua marina mistum. Mensura, quæ & *demensum* dicitur a demetiendo, & *diurnum*, & *diarium*, quod in dies singulos fiebat, non semper eadem servabatur, sed pro conditione operæ & temporis variabat; veluti, Villicus, Villica, procurator & alii, qui magis cura & custodia, quam labore res villaticas administrabant, in menses singulos accipiebant tritici modios tres: operarii per hiemem modios quatuor, per æstatem modios quatuor semis: compediti per hiemem panis pondo IV, ubi vineam fodere incipiebant pondo V. Contra in urbana familia pro ratione & dignitate ministeriorum demensum distribuebatur: & majorem mensuram accipiebant servi lautiores & honestiores, quam mediastini & infimi. Ex qua varietate est, quod Sallust. histor. 3. in oratione Macri Trib. pleb. & Seneca epist. 80, servis quinos modios adsignat. Donat. in Terent. Eunuch. quaternos. Vestimenta familiæ erant tunicæ pelliceæ, saga, centones & centiculi, manicæ de pellibus, quæ vel in silvis, vel in vepribus rustico operi & venatorio poterant esse communes: Cucolli, sive Cuculliones, *Galeri* in modum galeæ facti, *pilei*.

densi crassi, & sutiles e pellibus lanariis, quales prisco ritu fuerunt Romanorum pontificum *galeri*. Utraque capitis tegmina ad arcendas pluvias. Colum. 1, *cultam vestitamque familiam magis utiliter, quam delicate habeat, munitam diligenter a vento pluviaque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis, cucullis*. Auctor Moreti de Similo rustico, *tectusque galero Sub juga parentes jungit lorata juvencos*. PERONES & SCULPONEÆ, quas Cicero in Pisoniana, & Petronius Satyrico *soleas ligneas* vocant, sunt calceamenta rustica & servilia: illa e corio crudo fiunt, hæc ex solido ligno exsculpto, dicta a sculpendo: unde *Peronatus* & *Sculponeatus* indutus peronibus sculponeisve. Virgil. lib. 7, --- *crudus tegit altera pero*, ubi Servius: *Pero rusticum calceamentum*. Persius: *Navim si poscat sibi peronatus arator*.

De instrumentis jumentorum & ornamentis eorundem.

XXI. Similiter comprehenduntur pecudum majorum instrumenta, ut boum *juga lignea*, vel *lorea*, quæ binos ternosve jugant, Asinorum *instrata*, *capistra*, illis insternuntur, his adligantur, si quando inscenduntur *Clitellæ*, id est sellæ dossuariæ imponi mulis & asinis consuetæ, ad onera commodius

Digitized by Google

gestanda. *Helcia* lorata, spartea, vel cannabina, ante pectus ab armis dependent, quibus asini equive currus per *temonem* trahunt, vel molas per machinulam ipsis annexas versant: dicta a Græco ἕλκω, traho. Apulejus 9, *defectum alioqui me helcio sparteo, demoto nexu machinæ liberum, applicant præsepio*. Equorum habenæ, frena, *oreæ*, quæ ori induntur, *Murices*, iidem *lupi* & *lupata* frena ferrea asperrima. *Stragula* insterni solita, *Ephippia* sellæ ad insidendum impositæ propter mollitiem vectorum, calcaria, cingula, eadem zonæ, quibus cinguntur & distringuntur, soleæ pedibus suppactæ. Quæ magnam partem non tam instrumenta fuerunt, quam ornamenta: qualia etiam censentur *frontalia*, quæ sunt laminæ a naribus ad frontem inter oculos ductæ, in summo latæ, in imo contractæ, forma scuti longi; *baltei*, qui tergo injecti ventrem superiorem ambiunt, unde *phaleræ* dependent; *Monilia* circa collum & pectus demissa, *phaleræ* ornamenta pensilia, quæ omni corporis parti adduntur: etsi Suidas frontem, Herodotus maxillas, Servius pectus ornari phaleris tradant. In his autem ornamentis veterum imperatorum & principum fastus maxime enituit: habuerunt enim ista aurea, gemmata & cælata, ut de *frontalibus gemmatis* testatur 37, 12 de *soleis aureis*, idem lib. 38, 11 de frenis, monilibus, stragulis, cingulis aureis & gemmatis Virgil.

Digitized by Google

Æn. 7, *Aurea pectoribus demissa monilia pendent, Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.* Statius Thebaid. 3, *Spumantes procul mandunt adamanta jugales*, & lib. 12, - *ignea gemmis Cingula.*

Claudianus de equo Honorii Imperat.

Dumque auro phaleræ, gemmis dum frena renident,
Hac uterum zona cinge frementis equi.
Sanguineo virides morsu versare Smaragdos,
Et Tyrio dignum terga rubere croco.

Apulejus de deo Socratis; *Neque in emendis equis phaleras consideramus, & baltei polimina inspicimus, & ornatissime cervicis duritias contemplamur, si ex argento & auro & gemmis monilia variæ gazæ dependent, si plena artis ornamenta capiti & collo circumjacent, si frena cælata, si ephippia fucata, cingula aurata sunt.*

VOCUM QUÆ IN HOC LIBELLO

EXPLICANTUR SYLLABUS.

Numerus Caput indicat.

Actor 2
Adasiæ oves 5
Admissarius equus 4
Africanæ gallinæ 7
Aheneum Ahenum 19
Albanus canis 6
Altilis bos 4
Alveus 11
Ambidentes oves 5
Amerinæ corbes 11
Amphoræ 17
Apicæ oves 5
Armenta, Armentarius 4
Armillæ 11
Atriensis 2
Aviarius 3
Baltei equorum 21
Batillus 19
Bidens, Bipalium 8
Bidentes oves 5
Cadus 17
Cadus salsamentarius 8
Calathus 13
Capistrum 21
Capreolus 8
Capulæ 12
Capulator 3
Catinus, Catillus 19
Cellarius 2
Cisterna vinaria 15
Clitellæ 21
Colluviaris porcus 5
Colum vinarium, nivarium 11
Conchæ 12
Confeta sus 5
Cordi agni. Cordum ib.
Cortinæ 12
Crates 8, 11
Cuculli 10
Culleus 16
Deliacus 5
Delici porci 5
Deliculæ oves ib.
Digitabula 2
Dispensator ib.
Doliaris servus ib.
Dossuarius asinus 4
Ephippium sella equi 21
Epiroticus canis 6
Epistatæ 2
Ergastularius ib.
Expartæ oves 5
Factor. Factus 3
Fartor ib.
Feta Sus 5
Fibula, Confibula 11
Fidelia 17
Fisci, Fiscina, Fiscella 12
Fistuca 19
Fistula farraria ib.
Flagellum 9
Focarii, Focaria 19
Foculus ib.
Forda Bos 4
Forma casearia 13
Fornicarius 2
Frontalia 21
Funalis equus 4
Funis ductarius 11
Furca 10
Furcilla 9
Galerus 20

Gallinarius 3
Gemellar 12
Germiniseca 3
Globuli 20
Granaria 15
Hama 19
Helcium 21
Hippocraticum vinum 11
Hirtæ oves 5
Horda bos ib.
Horrea 15
Hostus 3
Incerniculum 18
Incientes oves 5
Irpex 8
Jugalis equus 4
Jugarius 3
Jugatorius, injugis bos 4
Jumentarius 3
Labatir 15
Labrum eluacrum 12
Laconicus canis 6
Lactaria vacca 4
Lævus bos ib.
Lagena 17
Legulejus 3
Licinus bos 4
Lingula 11
Linter ib.
Lora 10
Lumaria 8
Lunatæ 9
Lupus Lupatum 21
Machinarius asinus 4
Mala cydonia 18
Mala melimela ib.
Mala struthea ib.
Marra 8
Mateola 19
Mediastinus 3
Medicæ gallinæ 7
Mediolanum unde 2, 3, 9
Meliponti 11
Mellarius 3
Miliarium vas 12
Minæ oves 5
Molossicus canis 6
Monitor 2
Moretum 20
Murex 21
Muria 18
Mystici porci 5
Nasiterna 19
Navia 11
Nefrendes porci 5
Occator 3
Olearius ib.
Orca 18
Oreæ 21
Ostiarius 2
Pala 8
Panis cibarius, secundarius 20
Panis depsticius ib.
Parta vacca 5
Pascalis ovis ib.
Pastinum 8
Patibula 11
Patulus bos 5
Pavicula 19
Pecten 9
Peculiares oves 5
Pedicinus 11
Pellitæ oves 5
Perones 20
Phaleræ 21
Pila. Pilum 19
Plostrarius asinus 4
Politor 3
Porcetra 5
Porculator 2
Porculus 11
Posca 20
Preliganeum vinum ib.
Pullitræ gallinæ 7
Pumiliones, Pumilii ib.
Pustulosæ oves 5

Quadrantal 17
Quala satoria 8
Quali 11
Ralla 8
Rastelli 10
Rastrarius 3
Rastrum 8
Regulæ 12
Rejiculæ oves 5
Riscus 15
Rota aquaria 19
Rudis, Rudicula ib.
Runcina, Runcator 3
Rustaria falx 8
Rutabulum 19
Rutrum, rutelum 8
Sacres porci 5
Sagmarius equus 4
Salgama 18
Salictarius 3
Saltuarius ib.
Sarculum 8
Sarritor 3
Scriblita 20
Sculponeæ ib.
Scutriscum 19
Serarii porci 5
Seria 16
Sinus & Sinum 13
Sirpea 8
Sirpicula falx ib.
Sirpiculus 14
Situlus aquarius 19
Soloces oves 5
Spira 20
Storia 14
Strictor 3
Subjugium lorum 21
Subrumi agni 5
Subscudes 11
Sucula ib.
Superjumentarius 3
Tanagricæ gallinæ 7
Tela jogalis 19
Testa 17
Testum 19
Tintinnabulum 14
Topiarii 3
Torcular & torcularium 11
Traba 9
Trapetum 12
Tribulum 9
Trimodiæ 11
Trochlea ib.
Trulla, trulleum 19
Tullianum pro ergastulo 2
Tympanum 12
Vallum, vannus 9
Vectarius equus 4
Vectes acrifolii 11
Vectis ib.
Ventilabrum 9
Ventilator 3
Verriculata falx 9
Ungues ferrei 11
Urcei mustarii ib.
Urceus, urceolus 16
Urna quinquagenaria 19
Uter vinarius 17

IN VEGETII RENATI

LIBROS QUATUOR

N O T Æ.

IN LIBRUM PRIMUM.

Cap. 4 *Cubet*) Varietatem lectionis *cacabit* non contemnendam putat Gesnerus: opus enim ad eam rem nixu pulmonum.

11, 7 *Picula*) Ita conjicit Gesnerus: pix phthisicis commendatur Diosc. 1, 94.

12, 2 *Minus traxerit*) Lectio S. M. *non bene laboraret* nos fugit in Varietate: sed glossa videtur barbarica, qua illud *traxerit*, quod fistulæ opus est, explicatur.

13, 3 *Urticæ libram*) *Usti æris* rectum videtur. Facit enim ad ulcera. Vid. Diosc. 5, 87.

16, 1 *Morbi causa*) Varietatem lectionis hic prætulerit Gesnerus: nam signa tantum sunt indicata supra 1, 9, 1.

17, 3 *Corrumpuntur*) Pro hoc verbum non malum videtur Gesnero *compleantur* ad contagium significandum: ita *impleri* dixit Liv. 4, 30. Etiam huc retulerit aliquis illud Liv. 1, 46. *Adolescentem suæ temeritatis implet.*

17, 7 *Ægyptiacæ*) C., qui legit *Ægyptiæ*, omittit etiam inclusa; & sane glossema videntur.

17, 7 *Vini optimi*) Quæ dedimus in Varietate nescit Gesnerus quid sibi velint, nisi quod *styptici* vocabulum hic latere suspicatur.

17, 18 *Profluvio Attico*) *Profluvium Atticum*, quod etiam occurrit deinde 1, 38, 4, dum meliora quis doceat, interpretatur Gesnerus simile illi, quo per pestilentiam Atticam celebrem illam, laboratum est. Biliosas excretiones hic intelligi, coloris vocabula declarant. *Pallidum* enim & ipsum ad subviridem colorem pertinere vel Palladii nostri usus docet. Græcissare Vegetium, & Græcis auctoribus uti vel in hoc ipso capite, apparet.

20, 2

20, 2 *Caballiones — caudas*) Inter hæc Cl. Morgagnus ex lib. 4 reſtituit *ſtellas marinas* 4, *pallas marinas* 7. Videntur librarii primo loco a *ſeptem* ad *ſeptem*, interjectis verbis omiſſis, tranſcurriſſe.

21, 1 *Errabit*) Quid ſi *creabit*, ait Geſnerus? Ita paullo poſt, *periculum generabit*.

21, 1 *Valetudinisve periculum*) Rectam putat Geſnerus lectionem S. M. ut disjungat *debilitatem valetudinis*, *vel periculum ejus*.

21, 4 *Exiges*) Hoc verbum Geſnerus interpretatur adiges in venam, ut ſæpe boni etiam ſcriptores.

22, 6 *Fibula*) De uſu fibulæ in alligandis vulneribus multa Rhodius de acia Celſi.

22, 11 *Deſpumantur autem*) Sic C. recte, pro *etiam* aliorum: nam *deſpumare* eſt ipſum *ſanguinem detrahere*.

22, 11 *Dentibus caninis*) Hic interpunxit Geſnerus. Refertur enim relativum non ad proximum, *dentes:* ſed more Vegetii ad objectum, quod vocant principale, *equos*.

25, 5 De *brachiolis*) Quid ſibi velit illud *e creticis*, quod eſt in Varietate, non comminiſcitur Geſnerus. *Criticos* dies *Creticos*, & *creticare* dixiſſe Barbaros, docet Dufreſnius. Quid ſi igitur *e creticis* ſit, ex illo indicio & judicio &c. Sed vid. mox n. 6, ubi recurrit alio ſenſu.

26, 2 *Componis omnem ungulam* &c.) *Componito pedem ad gubiam: & omnem ungulam ad vivum allides fumentumque ſuffraginem illac alligatam lino vehementer adſtringes totumque ſolum ungulas in circuitu ſcalpello circumſcribis* S. M. Quid ſi pro *fumentum*, quod alias *fomentum* eſt in his libris, legamus, ait Geſnerus, *tumentemque ſuffraginem*? Forte alliganda eſt ſuffrago, quæ etiam ex ipſa alligatione tumebit, ne intempeſtive adfluens ſanguis curationem impediat: poſtea quidem ſolvi jubetur, ut fluat ſanguis. *Gubia*, ſive *Gulbia*, lexicis ignota, ferramentum componendæ ungulæ videtur. Apud Dufreſnium *gulbium* eſt inſtrumentum fodiendo horto.

26, 4 *Hi plane qui* &c.) Hoc, explicante Geſnero, dicit Vegetius, qui ſemiſſentur equi, non opus eſſe ut curandi cauſa dejiciantur.

29, 1 *Poſſint adferre*) Quæ incluſa vides, novi capitis lemma putat fuiſſe Geſnerus. Certe ad lemma ipſum capitis 29 iſta adſcripſerat Sambucus in margine: „ Hoc loco Ms. duo „ diſtincta capita habet: quorum alterum inſcribitur de cu- „ ris febrium; alterum de laſſitudine, quæ videtur febribus

„ similis, & incipit, *Febrientibus animalibus* &c. " Aliter paullo Morg. IV, 11: nimirum interpunĉto sublato jungit comma hoc præcedentibus. Ingeniose, ut solet!

36 *Ad cibi instar*) Quid si *ad olivæ instar* vel *instantiam* h. e. magnitudinem, inquit Gesn., ita conjiciens ex Variet.?

36 *Offas — de passo*) Non solo, sed farina scil. addita.

38, 3 *Peripleumonici*) Positum pro *peripneu*. Sed nihil mutandum: ita enim etiam apud Marcell.

38, 3 *Ortomici*) Forte *orthotonici*, vel quod malit Gesnerus, *orthopnoici*.

38, 5 *Ne ingratus error*) Gesnerus post Cl. Morgagnum legit *ignoratus error*, cui respondet *evidens doctrina curaret*.

38, 6 *Novem duplices ficus*) XVIII S. M. Quod glossema mihi cum Gesnero videbatur, nescio an verum. Recurrunt ficus duplices non cum numeris modo, ubi eadem ratio possit esse, sed etiam sine numeris 3, 27: quamquam ibi non agnoscit S. M.

38, 12 *De siccato stercore*) *Stramina* legere nos jubet Morg. IV, 12 hic & alias. Sed sæpe nimis Vegetius & alii *stercoris* hac in re mentionem faciunt.

42, 1 *Catachlytum longanonis*) Gesnerus suspicabatur *cataclistum*, & intelligebat, ipsum sphinĉtera & sedem infimam.

46, 2 *Per anum emittit*) Hoc fieri posse, & factum esse docet experientia.

46, 2 *Collecticiis*) Verum est *colleticis* κολλητικοῖς, cujus vocis verissima glossa sunt ea, quæ ideo inclusit Gesnerus. Neque enim solet Græca, quibus frequentissime utitur, interpretari Vegetius.

51 *Huic manum*) Hic inserenda putat Gesnerus, quæ paullo post sequuntur, *cum oleo*.

56, 22 *Absinthium vel rosatum*) Pro *absinthium* Morg. II, 20 ex Palladio legendum conjicit *absinthiatum*.

56, 37 *Tottonarios*) Poterat aliquis somniare aliquid de Gallorum *trotter* & Germanorum *trossen*: sed Fresnius in Glossar. voc. *trepidier*, *Guttonarios* legi vult hic & 4, 6, 7 ex emendatione Salmasiana ad Capitoli. Max. p. 13 Hack. quo loco copiosissime de hoc argumento.

61 *De urinæ* &c.) Compara 3, 15 ubi diligentius ista tradi videntur.

62, 2 *Os limacis*) *Ossiculam* vocat Plin. 19, 6 s. 36 ubi laudat Harduinus Marcellum. H. Steph. *Limacis*, inquit, *calculum, quem in capite habet, tolle, quod non facile facies, nisi ei, dum in via repit, caput subito absciderit*.

IN LIBRUM SECUNDUM.

Cap. 6, 7 *Purgabis exorica*) Quid ſi *conyza*? Certe laudat eam in re ſimili Cælius Aurel. Acut. 2, 9, 40.

6, 7 *Pedeſque connectis*) Nimirum ut deſpumare poſſis: eadem cauſa *dejici* alias jubet, *deponi*, vel *elidi*.

6, 12 *Cyclo*) h. e. cautere adhuc deſcripto, de quo etiam Hippiatr. Ruell. c. 100. p. 35,b. *venter & tempora crebro candentibus laminis exulceranda*.

7, 1 *Ambulabit pravus*) *Oblique graditur* Ruell. Hippiatr. 2, 102 p. 97, b. ubi idem remedium.

7, 2 *Cerebellum de lanata*) Pro Geſnero, præter S. M., ſtat & Ruell. Hippiatr. p. 96. a. *caput lanata pelle conteges*.

7, 3 *Paſtillos facies*) Qui ex aqua & melle una coctis? non videtur poſſe.

8, 3 *Calidamque*) Forte *calidumque*. Neque enim aqua, ſed hordeum immitti poteſt, ut obſervat Geſnerus.

11, 4 *Facies ne deforment*) h. e. ne ſpecies & adſpectus deforme reddat. Conf. 1, 28, 4.

11, 4 *Confecto*) Verum videtur *confictio* pro *confixo* ex *configo*.

11, 4 *Menti priſtinæ*) Quid ſi legamus, *membranam mentis priſtinæ ſanitati*?

12, 8 *Hinniunt fortiter*) Stant pro Geſnero S. M. & Hippiatr. Ruell. 2, 100 p. 95, b. *Importune hinnitus edunt, & ſæviunt morſu*.

15, 1 *Tritiacem*) Verum eſt *trichiaſin*, quod J. A. Fabricius adſcripſit, & conjicit Morg. IV, 15. Mox pro *aliam*, quid ſi alieni? h. e. loco non ſuo & importuno enati.

16, 1 *Hypocoriaſis*) Poſt hanc vocem excidiſſe videtur, *core enim*; niſi tamen totum hoc *core enim Græce pupula nominatur*, gloſſema eſt. In editis fuit *ſtenochor. plotochor. hypoch.* An hæc paſſionum pupulæ nomina alias occurrant, non habet dicere Geſnerus. Lexicis certe ſunt indicta.

16, 3 *Adverſus*) Quæ uncis incluſa vides, ea referenda ad c. 15 extr. obſervatum in libro J. A. Fabricii & a Morg. IV, 14.

17, 1 *Cicatricem*) *Hypochyſin* liber J. A. Fabricii in marg. quod verum putat.

19 *Deplanaverit*) Forte *deplanaveris*. Vulnus enim *facere* videtur ipse, oculus *uvea*, hoc enim est *staphyloma*, laborans, *deplanat* medicus. Hoc sibi intelligere videtur Gesnerus ex Hipp. Ruell. 1, 11 p. 18, b. & ex Aet. 3, 2, 34.

21 *Narium foramina*) Notabilis est hic locus, inquit Gesnerus, quia docet ductum, qui lacrymalis vocatur, veteribus etiam vulgo fuisse cognitum. Addimus Hippiatr. 1, 11 p. 18, b. Ruell. *Oculus per angustum quoddam spiraculum proluitur, quod conjunctum naribus, ad eum ducente cuniculo permeat*. Tribuitur Eumelo Thebano, cujus ætas si explorata esset, etiam de antiquitate hujus inventi constaret. Galenum antiquissimum commemorat Cl. Morgagnus Adv. Anat. 1, p. 27.

24, 2 *Ferro*) Videntur Gesnero hic adjungenda, quæ mox præcipiuntur c. 25, 2 quod monitum est in marg. libri Fabriciani & a Cl. Morgag. IV, 16.

25, 2 *Plerique*) Hæc fini capitis 24 annectenda videntur.

26, 3 *Battituræ calcetis*) *Chalybis* conj. in marg. exempli Fabric. sed legendum *chalcitis*. Apprime certe ea huc facit, si audiamus Dioscoridem 5, 95.

27, 2 *Syringotomio*) Ita rescribere ausus est Gesnerus post J. A. Fabricium, tum Platnerum, & Morgagnum IV, 18.

27, 3 *Astalticis*) Gesnerus putat verum esse *stalticis*: quod huic rei proprium verbum est: *a* adhæsit ex verbo proximo.

29, *Dum calet*) Forte *candet*, quo verbo etiam de liquidis noster utitur V. 3, 24, 9.

30, 1 *Steatoma*) Sic statuunt scribendum ratio & ejus interpres Morgagnus IV, 20, quo auctore etiam *aneurysma & atheroma* eo audacius reposuit Gesnerus.

33, 2 *Cui & corbem*) Attamen Hippocrates apud Hippiatr. Ruell. 2, 74 *os in capite fractum sollicitari medicamentis frustra vetat*.

34, 1 *Spongiam Afram*) Penicillum aceto imbutum hic commendat Hipp.

34, 2 *Animal despumatum*) An Græcismus est? Debebat certe *animali despumato*.

36, 1 *Leptiperisis*) Gesn. prope certum est, fuisse apud Vegetium *Lexipyretos*, ληξιπυρετὸς, febrifuga: accessisse deinde glossatorem, cujus neque tota ad nos interpretatio pervenerit: *piretran* autem retinere speciem aliquam vocis *pyreton*.

39 Vid. Hippiatr. 2 c. 106, ubi docetur siderationem esse in jumentis, qui in hominibus morbus comitialis est.

40, 1 *Ne ludat*) Forte legendum *eludat*. Conf. 1, 22, 4 ubi de eadem re agitur.

41, 1 *Supra foſſam*) Quamlibet opinatur Cl. Platnerus, quo melius ex omni parte vertebræ e ſede ſua motæ comprehendi & reponi poſſint.

41, 3 *Poſt regula*) Locus haud dubie corruptus, in quo tamen eſſe putat Geſnerus, quod emendari facile poſſit, quod lucem obſcuræ alii rei fœneretur. Nimirum *regulas oleagineas* poſuiſſe Vegetium, non eſt dubium. Deinde easdem *regulas* in codice, quem laudat in margine Sambucus, a gloſſatore aliquo vel interpolatore barbaro *aſcellas* vocari, h. e. *aſſulas*: tertio, *eas regulas*, *aſcellas*, *fibulas* eſſe Jo. Ruellio in Hippiatricῶν interpretatione 1, 24 ubi *fibularum ex tamarice ſ. myrica* mentio fit ab Abſyrto, Hierocle, & Theomneſto denique, in hoc ipſo cervicis emotæ argumento: denique ſimilitudinem intercedere inter hunc locum, & alia quædam, ubi fibulæ mentio eſt Vegetio, inprimis 2, 15, 1 ubi de *fibula ad palpebras*, & 2, 31 ubi de *fibula ad vulnus linguæ* agitur. Nimirum licet neque hic Vegetii locus ſanus videatur, neque Græca hippiatricῶν inſpiciendi facultas jam ſit, neque denique aliquem hujus rei uſum habeamus: illud quidem nobis apparet, *fibulas*, *aſſulas*, *regulas*, eſſe ligna recta alligata funiculis, per ipſam animalis cutem ductis, ut cogatur animal rectam tenere cervicem, ita ut in neutram ea torqueri partem poſſit.

42, 2 *Ferunta*) Pro hoc verbo, cui corruptionis notam appoſuerat Faber, omiſſam a Sambuco, aut legerim *ferutam* h. e. plagam a cauterio factam: aut *ferburam* h. e. vulnus ex uſtione. Certe *ablata* ad *cataplaſma*, poſt Geſnerum refero, quo verbo etiam feminino genere utuntur ſemibarbari: *ferutam* vero, vel *ferburam* quarto caſu ad *fovebis* adjungo.

43, 1 *Armorſimum*) Geſnerus legit *armos ſinum deſtillatio fecerit*, vel *deſtillatione fecerit*. *Sinum facit* vel *deſtillatio* vel *cervix*: ut apud Colum. 6, 11, 1 eſt *ſinus ſuppurationis*.

43, 2 *Diæreſin*) Græciſſat, ut ſolet, Vegetius: *diæreſis* eſt laxamentum quoddam & ſpatium, qua effluere humor poſſit. *Plaga* & *diæreſis* ſunt nomina rei ejuſdem, illud a forma & geneſi, ſi cum philoſophis loqui licet, hoc a fine petitum.

45, 1 *Si armus læſus* &c.) Hunc locum ita conſtituit Morg.

III, 38 *Si armos læserit, in medio crure utroque solvantur venæ, & — pulvere liniantur.*

45, 2 *Epaphæresis*) Sic C. & recta ratio, ut Gesnerus autumat: ἐπαφαίρεσις enim repetitam detractionem notat.

45, 4 *Stracta*) Quid si legamus *tracta*, aut certe *stractam* eandem dicamus? Diverso quidem genere pro massa farinacea dixit Cato 76, 1: sed *tractam* Plin. 18, 11, s. 27. Apud Cælium Aurel. Acut. 2, 32, 167 *tractuosus* est viscosus vel glutinosus.

45, 8 *Aforis extrahit*) Hoc significari putat Gesnerus, non imprimit vestigium, sed extra lutum vel arenam tenet quantum potest, ut *excludere* est non intromittere.

47, 1 *Exbercen*) Legendum videtur *exherxin*, ἔξερξιν, *exclusionem*, *ab* ἐξείργω *excludo*, ut Hippocratis σύνερξιν, σύγκλεισιν hoc est *conclusionem*, interpretatur Galenus.

47, 3 *In canterio vel in scalis*) Nimirum ita scripsisse putat Gesnerus auctorem, *in cantherio vel in scalis velut suspensum locato*. *Cantherius* est jugi genus, in quo recumbunt vites, item *cantherii* sunt tigna parallela in tecto. Intelligit igitur equum ita intra duos longurios suspendi, ne terram pede ægrotante contingere possit. *Scalas* hic intelligit mobiles, quibus nihil ad hanc rem accommodatius est. Firmant hanc emendationem & interpretationem ultima hujus capitis, *Non ante permittes stare* &c. Mox idem Gesnerus libenter legeret: *ne in fractura fleb. comm.* vocula sc. *in* adjecta.

47, 3 *Suffundes*) Vinum & oleum intelligit Gesnerus, fasciis infundendum. Tum *solves* intellige fascias, quas *expleta curatione*, h. e. inspectione pedis, purgatione, denuo *ligabis*.

48, 1 *Phlegmon*) *Phlegmone* verum est: librarius putavit, hanc solius ablativi terminationem esse.

49, 2 *Si sletam*) Quæ sit *sleta*, qui *trictores*? nec invenit Gesnerus, neque comminiscitur.

49, 3 *Sutorium*) *Scriptorium* in hac re commendat Eumelus Hipp. 2, p. 113, a. Ruell.

49, 5 *Ciliciis ozanas*) *Panno pilis vel setis texto* Ruell. Hippiatr. p. 213. a.

54, 3 *Decoctis*) Hæc est ipsa *ome lysis*, polenta cruda, quæ ita finitur Hippiatr. c. ult. p. 113. *mistura æqualis fœni græci, seminis lini, & farinæ bordeaceæ*. Sed Geopon. 18, 19 ex Berytio tantum est.

54, 3 *Articulis*) Ita repoſuit Geſnerus pro vulgato *auriculis* & ratione ductus, & n. 5.

55, 2 *Coronulas faciant*) Geſnero legendum videtur *faciat*.

55, 2 *Pedem priorem planum*) Quid ſi, *pedem priorem non plenum*? Conf. 2, 54, 1 & intellige *priorem pedem*, partem priorem vel anteriorem pedis cujuſcunque: cui cum ſoli innititur, *ſuſpendit greſſum*.

55, 7 *Teſta candenti*) Hippiatr. 2, 102 ferventibus teſtis animal cogitur inſiſtere.

55, 7 *Lamina candente*) Sic repoſuit Geſnerus pro *lana c.* quæ hic nulla eſt. Conf. 3, 4, 8. *it.* 3, 4, 38. Ita *ferro candenti* 3, 4, 11.

56, 1 *Imponas*) Hoc verbum Geſnero redundare videtur.

56, 2 *Liniamento*) Videtur eadem hic vox requiri, de qua in Varietate ad litt. a) pag 151.

59, 3 *Vel diſcentes tracturam*) Hoc plane monſtrum eſt. Quid ſi *vel diſtendens farctura inuritur*? *Farcturam* intelligit Geſnerus *centones*, *ſaga*, quibus efficitur ut æqualiter incumbat & molliter ſella vel clitellæ.

60, 1 *Palpabitur tumor*) H. e. ut Geſnerus explicat, palpando tumore intelliges ex patientia animalis, ſuppurationem non adeſſe.

60, 2 *Purgaverit*) Hoc verbum videtur intranſitive poni etjam 2, 57, 2.

IN LIBRUM TERTIUM.

CAP. 2, 16 *Vel piget*) Geſnerus ſuſpicatur ſcripſiſſe auctorem, *quas enumerare non piget*: *r* & *p* miſcentur ſexcenties. Enumerat ſane, *ut* (hæc vox forte excidit) *facilius intelligi poſſint*, *principia* & indicia vel ſigna adeo uniuscujusque generis. Corrupit hanc ſententiam, qui, cum illud *riget* ex *piget* ortum non intelligeret, ſubſtituit *licet*. Alius utramque lectionem ſervare voluit.

2, 22 *Largiſſime ſpargitur*) Cogitabat, vel ſcripſit, *ſpargit radices*: hinc infertur, *has effodies*.

2, 27 *Herba conſiliginis*) Quæ ſit iſta conſiligo, diſputat, & hunc ipſum locum illuſtrat Dodonæus 1, 3, 19 de Buphtalmo.

Bb 4

3, 1 *Prodeſt itaque, ut*) Morg. III, 1 conjicit: *Proderit aquæ calidæ, ut* &c.

3, 2 *Macerata infuſaque*) Aut retulit ad *pondera* auctor; aut legendum *macerati infuſique*.

3, 3 *Tepidum dare, — trahere*) Debebat *dari, — trahi* &c. Sed non obſervatur in his libris, cujuscunque culpa, temporum conſecutio.

3, 8 *Et videris egere* &c.) Morg. III, 5 conjicit legendum: *Et viridis, & quale manducant egerere* &c. Gesnerus ita cogitaverat. Scripſit forte Vegetius, *ſi venter cæperit fluere, & viridia egerere, vires carpit, operique inutilem reddit, quia ex cibariis ad medullam bovis nihil pervenit*. Illa autem verba, quæ uncis coercentur, gloſſatoris alicujus putanda, qui *viridia* Vegetii explicare vellet: cogitabat nimirum homo cautus, *viridia* etiam eſſe ſani bovis retrimenta &c. itaque ſcripſit, ut veriſimile eſt, *quod ſic viridia* &c. Codex, quem laudat in margine Sambucus, epitomen exhibet, aut lemma. Sic enim, *ſi v. cæp. fl. & viride quale manducant, prima die* &c.

4, 16 *Scavies ſanatur*) Colum. 6, 13, 1 ex quo emendavit Gesnerus, cum legeretur, *ſcabies anatis trita oleo defr.* In marg. Samb. erat, *ſcabies ſcabioſa trita cum* &c.

4, 39 *Cum melle permixti*) Deeſſe hic aliquid arbitratur Morgagnus. Et ſane nihil reſpondet genitivo *ſalis*, & verbo *extenuant*. Gesnerus putabat legendum *ſales foſſiles* &c.

4, 40 *Armeniaci*) Tum ante *&*, tum poſt illud deeſſe aliquid videtur Morg. III, 35. Quid ſi pro *& cum* legamus *tritum?* Ita nihil deerit. Mox pro *mulſæ aquæ* idem Morgagnus ib. legit, *mulſa aqua*. Nihil tamen mutavit Gesnerus, cum *aquæ adſpergi* vel *conſpergi farina* non minus dici poſſe videatur, quam contra.

4, 41 *Paſtinaca quoque agreſtis*) Deeſſe aliquid ex Columella obſervat Morgagnus.

4, 44 *Ad pecudem medendum*) Ita interdum Varro & alii. Sed tamen forte malis ex Colum. *medenti*. Mox pro *conuxet* Gesnero aliquando videbatur legendum *colluxet*.

4, 45 *Velum in caudam*) Quid ſi *niſi in caudam*, hoc eſt, retro tractum, ut Cacus traxit boves Herculis. In univerſum illud patet, emendatione Clariſſimi Morgagni cum Columella conformari Vegetium. Supereſt, ut non ipſe in quibusdam diſcedere voluerit. Gesnerus rem in integro relinquendam cenſuit.

4 46, *Ad temones ſocios*) Qui ſunt *temones ſocii?* an paral-

leli? quin sequitur, *vel funibus:* ſuspicatur Gesn., in voce *socios* ligandi instrumentum latere, laqueum, aut simile.

3 b, 1 *Afronitri*) Ipsum causticum est, puto, afronitrum: ideo etiam incisum post *diluti* sustulit Gesnerus.

3 b, 3 *Tres assis*) Quid si *unc. macis*? Sed ignotum Vegetio *macis* Arabum.

10, 3 *Bulbos tascedeas*) Morgagnus IV, 32 rescribendum censet: *bulbos triginta*, 5 *cochleas* &c. Favet viri doctissimi conjecturæ, quod priores literæ *tas* potuere ex numeralibus notis corruptæ esse, *cedeas* autem transmutatum esse ex *cocleas*, ut fere scribitur in hoc libro.

11 *Ne intestinum — frangatur*) Barbarie oppleta omnia. Sed ita forte fuit, *ne intestinum — tangatur. Quod si fuerit læsum, non jam redibit, sed remanebit.*

12, 2 *Si lac caprinum* &c.) Legendum Gesnero videtur: *si lac capr. cum amyli tribus avellanis, & urceolaris herbæ succum freq. infundes.* De *amylo*, credit idem Gesnerus, non est dubium. *Avellanas* putat in mensura vulgari fuisse. De *urceolari herba* etiam non facile quis contradixerit. Quæ inclusa sunt *de pastillis*, aperte ad ea, quæ sequuntur, pertinent.

13 *Lixivio oleoque*) Quid si *lixivo oleo* jungenda sunt ita, *oleoque lixivo*?

15, 13 *Ad urinam invitabis*) Aquæ leniter decurrentis susurrus (ad h. l. Gesnerus observat) ideam mingendi excitat in animali, ut accidat ei simile quid illius ebrii, qui ad salientem noctu laxata vesica adstitit, & tota hora sibi mingere visus est, cum murmur salientis suæ urinæ strepitum interpretaretur.

15, 18 *In ano panacis*) *Opopanacem* prætulerit Gesnerus, quia hunc ex aqua mulsa aut vino bibendum ad stranguriam commendat Dioscor. 3, 55. Vulgatæ lectionis originem aperit S. M. In *aheno opopanacis quanti* (forte *quanta*) *dig. min. ext. est, cum vino decoqui*, (f. *decoquis*) *& per nares dextras dabis.*

16, 1 *Balaustii sem.*) Hoc verbum ex *Falaustæ* S. M. non invita, credo, Minerva Gesnerus exsculpsit, quod huc convenire putat, cum adstringendi vis balaustio tribuatur.

16, 2 *Herba rubea restringes*) Poterat Dodonæus p. 353, ut Gesn. animadvertit, vel nostrum adscribere his, quos laudat adversus Dioscoridem, qui insigni errore rubiæ tribuerat vim diureticam & abortivam.

18, 2 *Glante ferreo*) Soleæ simile aliquid significari, apertum

est; quid illud vel nominis vel rei sit, nondum comminiſcitur Gesnerus.

22, 4 *Similiter ſciaticis*) *Sciaticus* autem, vel *ſcyaticus* vitio ætatis dicitur pro *iſchiadico*: quæ admonitione Galli non opus habent.

23, 2 *Orabum*) Notus nostro *morbus aridus*, de quo in Varietate; sed non conveniunt phænomena. Quis vero *Arabus* sit vel *Orabus*, nondum invenit Gesnerus.

28, 8 *Subjicis hac atque illac*) Pro *subjicis* forte *sub iſtis* legendum est, intellige *plagis cauteriorum*, de quibus modo dictum.

36 Putat Gesnerus quæ hic docentur ad præcedens caput de sideratitiis pertinere.

38 *Si cylon feceris*) Ita ex Corb. emendavit Gesnerus, qui hoc in loco intelligendum esse suspicatur jus gelatum, explicatque: cum coquendo panis molli cum vino jusculum crassiusculum, quod tamen facile adhuc fluat, effeceris &c.

42, 2 *Quæ omnia* &c.) Post *trita* (accusat. absol.) intellige *ubi fuerit; menſuræ* vero non alius sunt rei quam *vini auſteri*.

47, 3 *Recenti vel*) Hoc omittit C. non tamen ejiciendum putat Gesnerus. Potest enim significare locum a recenti fabricatione humidum & frigidum.

47, 6 *Cyrenaici*) Sic S. M. quod prætulit Gesnerus, cum *tyrrhenici*, quod habent alii, nullam præterea mentionem invenerit. Mox *olei* glossa esse videtur *liquaminis;* quam bene, non disputo: *flos* est hic summum, quod innatat &c.

49, *In dextra parte*) Forte legendum *in dextram partem*. Certe incisum post *habebit* jure sublatum putat Gesnerus. Alioquin enim superfluum est dicere *in dextro pede claudicare;* contradictorium, *in ſiniſtro*.

52, 1 *Ut arreptum putes*) Interpretatur noster, credit Gesn, ἐπίληπτον: concidunt enim epileptici, & morbus ipsorum est caducus.

54, 1 *Ecedermiam*) Est sine dubio Cr. ἐχεδερμία licet ignota Lexicis. Quod *cardiacam* habet S. M. inde forte est, quia cor laborare credit vulgus in hoc morbo.

56, 1 *Ad ſimilitudinem fabæ*) Hoc tamen tolerabilius quam λημᾶν κολοκύνθας, s. *cucurbitas lippire*.

56, 2 *Syriatici*) Pro *Syriatico* certe *Syriacum panaces* legendum videtur, Theophrasto & Plinio etiam commemoratum.

58, 2 *Teſticulus dexter*) Gesnerus interrogavit Cl. Platnerum, ecquis esset testiculi dextri cum hepate consensus? Ille *Vix*,

inquit, *alium novi, quam per peritonæum, cum quo & hepar cohæret, & quo testiculi etiam comprehenduntur, minimum ejus tunica cellulosa. Veteres, quia hepar sanguificationis officinam esse crediderunt, & omnes illius lateris partes ex vasis compositas cum hepate cohærere existimarunt.*

61, 2 *Aluminis colati*) An *colatum* est ὑγρὰ Dioscoridis s. *liquida* Plinii? an *comatum* legendum quæ τριχῖτις Dioscoridi 5, 123.

63 *Bene contusa axungia*) An *contusam* vocat, quæ in rota diu hæsit, & circuitu illius subacta est.

66, 4 *Extrinsecus*) Extra reliquas species, separatim, ut Gesnerus explicat.

66, 5 *Quæ ne spissentur*) Ex Codice Corb. lectionem, quam dat, exsculpsit Gesnerus. *Acro, glus taurina, tragacantha, semina*, species reliquæ facile coeunt in *cylon*, vel duriorem etiam massam, & glutini similem. Hoc ne fiat, *ne spissentur, liquamentum præstat passi adjectio* &c.

67, 4 *Vervecina*) Sic Gesnerus conjecerat, cum *verbeces* esse in Vett. Inscr. recordaretur.

69, *Attici vel cymini*) Aut *vel* vitiosum Gesnero videtur, aut in *cymini* latere aliquod mellis epitheton.

70, 7 *Curat autem*) Intellige cum Gesnero hoc remedium vel simile quid.

74 *Carbonibus circumferes*) Nota cum Gesnero verbum lustricum, ut ille Æneas *ter pura socios circumtulit unda*.

75 *Populi, quæ* &c.) Quid si *populus alba* reponenda? *populum* esse, quæ *rhamnos* vocetur, non putat Gesnerus.

75 *Sales communes*) Probat Morgagnus rescribendum esse *salis communis*: nihil tamen mutari voluit Gesnerus, cum alias etiam *sales* de condimento dictum reperiatur.

76, 2 *Pendenti*) Si *pandenti* legis cum Gesnero, intellige *arteriam asperam*, quod fit inter tussiendum.

77, 1 *Muribus cæcis*) Alii legunt *areis* i.e. araneis. Gesnero videbatur legendum *Cæciliis*. Nisi tamen *mus cæcus* vel talpa est, vel ipsa adeo *Cæcilia*.

77, 5 *Mel Atticum*) *Melanteum* C. somniavit forte *melanthium*. Commendat id quidem ad phalangis ictus Diosc. 3, 93.

79, 1 *Nam si prægnans*) Tum scilicet efferatior putatur. Vid. Aet. 4, 1, 90 & noster 3, 82, 3.

84, 3 *Sambuci*) Sic Cod. Corb. qui firmat conjecturam Morg. IV, 44 *samsuco* alii.

IN LIBRUM QUARTUM.

PRÆF. 2 *Morituros*) Adnotatum legitur in libro Gudiano: „ Hoc sibi velle videtur, quosdam ægrotantes ita male ab „ medicis haberi, ut morituri videantur; evadere, cum ab „ his relinquantur: si mortui fuissent, non medicinæ, sed „ fato imputaturos fuisse mortem homines. “

4 *Habere commune*) Ut cum hominibus, quibus *igneus est vigor ac cælestis origo*, de veterum sententia.

4 *Medela cessaverit*) Etiam hic apparet, ut recte Gesnerus observat, Christianum non fuisse Vegetium, qui contradicat Christi de cura Dei circa minima sententiæ.

5 *Quæ primo cum perirent*) Sic edidit Fabricius. MS. ita, *quæ prima cum pererent morbum*. Quid si legamus, Gesnerus ait, *quæ prima compararent morbum*? certe ita melius cohæret oratio. *Comparare morbum*, est *nancisci*.

CAP. 1 Quæ de ossibus equorum hic traduntur, non tantum a librariis corrupta, sed alioquin etiam parum accurata sunt. Meliora peti possunt ex Caroli Ruini, Senatoris Bononiensis, *Anatomia dei Cavallo* Venet. 1599. *fol.* Nos hic in plerisque cæcutimus.

4 *De feminibus*) Distinguuntur hic haud dubie *femina* pars interior summi pedis, & *femora*, exterior.

5, 1 *Jumenta*) Pro hoc legendum *juventa*, censet Gesnerus: ita certe sibi omnia recte respondebunt.

6, 2 *Hunniscorum*) Hoc retineri vult Barthius Advers. II, 32 ratione non alia prolata, quam notos eo tempore fuisse Hunnos. Et sane sive antiquam Hunnorum patriam spectes, sive sedes recentiores, magna equis illorum hodie etiam laus tribuitur &c.

6, 7 *Inter colatorios*) Nescit Gesnerus quid sibi velit S. M. Pro verbis enim, quæ retulimus, ponit, *his sicut probatum est*, *in brevi* &c.

10, 2 *Vini tenetani*) Vinum hoc nomine, quod meminerit, nunquam legit Morgagnus. Ideo *Titacazeni* pro *tenetani* hic e Galeno reponendum Vir Cl. suspicatur.

11, 1 *Cassa*) Ne *sera* sit medicina, & ob id ipsum vana atque *cassa*, *ex conditis* h. e. in usum repositis medicamentis debet occurri.

Digitized by Google

21, 1 *Resinæ ustæ*) Forte glossa est *Cadmiæ*, de qua v. Diosc. 5, 84.

23, 4 *Iris Illyrica*) Adeo solenne est semibarbaris vel holobarbaris potius, componere hoc nomen, quod veteres distinguunt, &, credo, etiam Vegetius.

26, 2 *Zungitis*) Est *lonchitis* herba, sed cujus usum medicum ignorare se ait Dodonæus.

27, 9 *Illud iterum iterumque*) Editiones habent, *aliud iterum verumque*; sed elegantius C. ex poeta, quod vidit etiam Morg. IV, 52.

28 Quæ sequuntur, non videntur Vegetii, qui opus suum conclusit modo: sed a studioso uno pluribusve adjecta.

28, 2 *Effovet*) Vox Gesnero suspecta, sed qua commodiorem V. C. non comminiscitur.

28, 3 *Punicam*) Intellige *ceram*. Interpres Anglus *corticem* intelligi suspicatur.

28, 4 *Velocius curanda*) Probe omisit Gesnerus importunam parenthesin, quam inserunt Edd. *Valde per hoc medicamentum cataloticum*.

28, 10 *Gari floris*) Quid habeant Editiones, vidimus in Varietate. Emendatio Gesneriana modesta & vera certe videbitur. *Flos gari* est γάῤῥον πρωτεῖον Æginetæ, vel *optimum* Columellæ 6, 38, 2.

28, 17 *Sideritis, ferrariæ*) *Sideritis* & *ferraria* sunt synonyma; interponi ergo debebat *id est*, vel quid simile.

28, 16 *Notitia*) Quid sibi hic velit, notitiam equidem non habeo, nec habet Gesnerus.

28, 20 *Cocticam*) Vox hybrida, ut videtur, a *coquo* cum casu Græco.

28, 28 *Molybdænæ*) Hæc certissima emendatio Cel. Morgagni IV, 64, quam etiam nobis subjecit Dioscorides, qui 5, 100 *plumbaginem* ad hanc rem laudat.

28, 30 *Tracanti*) H. e. *Tragacanthæ*, ut recte Ruell. Scilicet in hoc in primis etiam nomine multum sibi indulsit serior ætas. Ceterum *trisaginis* & *Vettonicæ* hic ins. Ruell. *crocomagmam* omittit, & *mannam* substituit.

INDEX AUCTORUM

IN HIS RUSTICÆ REI SCRIPTORIBUS

LAUDATORUM.

Quorum nomina literis Italicis excudenda curavimus, eos dedita opera argumentum rusticum tractasse indicare volumus.

ABsyrtus veterinarius Veg. pr. 4, 1, 38, 5. ejus pulvis quadrigarius 4, 13, 4 anacollima 4, 22, 1. collyrium 4, 27, 1 & 2.

Accius poeta C. 1 pr. 30.

Ægesias *vid.* Hegesias.

Ælius (L.) *Stilo* V. 3, 12, 6.

Æschrion V. 1, 1, 9.

Agatocles Chius V. 1, 1, 8. C. 1, 1. 9.

Albucius (L.) V. 3, 2, 17. 3, 6, 6.

Ambivius (M.) C. 12, 4, 2.

Amphilochus Atheniensis V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 8.

Anaxagoras V. 1, 40, 1.

Anaxipolis Thasius V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9.

Androtion V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 10.

Antigonus Cymæus V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9.

Apollodorus Lemnius V. 1, 1, 8.

Apollonius Pergamenus V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9.

Apulejus P. 1, 35, 9.

Archelaus V. 2, 3, 5. 3, 11, 4. & 3, 12, 4. in epigrammate V. 3, 16, 4. Bugoniæ auctor V. 2, 5, 5.

Archytas Tarentinus V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 7.

Aristæus Thessalus agricola C. 9, 2, 4. ejus prudentia in molitione soli C. 1 pr. 32. De hoc Justi. 13, 7, 10. Virg. Ge. 1, 14 & 4, 317. *Schoettg.*

Aristandros Athen. V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 8.

Aristomachus apud Hyginum C. 9, 13, 8.

Aristomenes V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 10.

Aristophanes Mallotes: *ita enim legendum, non* Maleotes, *ut expressum est in contextu* V. 1, 1, 8. *Plinius* Milesium *vocat, unde emendari Varronem vult Harduinus. Sed* Mallotes *vel* Malotes *placet Reinesio V. L.* 2, 16. *p.* 163. *qui fallitur in eo, cum etiam a Columella laudari* Aristophanem *dicit. Mallotes etiam est in Cod. Ryckiano. Schoettg.*

Aristoteles Peripateticus V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 7. Stagerites V. 2, 1, 3. 2, 5, 13. vir calli-

.·diſſimus rerum naturæ C. 7, 3, 12. P. Jul. 4, 4. Peripateticæ ſectæ conditor in iis libris, quos de animalibus conſcripſit C. 9, 3, 1.
Athenagoras V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 10.
Attalus Philometor V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 8. *vid. Cuperus ad* Varr. l. c.
Atticus, Julius *ubi vid.*
Attilius Hiſpanienſis V 2, 4, 11.
Attilius (M.) Regulus C. 1, 4, 2.

B*Acbius* Mileſius V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9.
Bias de ſeptem unus C. 1, 1, 9.
Bion Soleus V. 1, 1, 8.
Bolus Mendeſius Ægyptiæ genti a Columella *reſtitutus* 7, 5, 17 & 11, 3, 53.

CÆcilius, Hypobolimæo C. 2, 11, 11.
Cælius orator C. 1 pr. 10.
Cæſar Vopiſcus V. 1, 7, 10.
Cæſonianum præceptum C. 1, 4, 1.
Caſſius Dionyſius Uticenſis Magonis libros de re ruſtica e Punico in Græcum ſermonem convertit V. 1, 1, 10. C. 1, 1, 10. laudatur V. 1, 17, 3. 1, 38, 1 & 2. 2, 1, 27. 3, 2, 13. C. 6, 37, 3. *Hunc quidam pro Geoponicωn auctore habuerunt, quos refellit Pe. Needham in prolog.*
Cato (*M.*) Cenſorius de agricultura Latine ſcripſit primus C. 1, 1, 12. laudatur V. 1, 7, 1. 1, 18, 1. 1, 22, 3. 1, 23, 7. 1, 24, 3. 1, 58. 1, 60. 2, 4, 11. C. 1, 2, 2. 1, 3, 1 *it.* 5 & 7. 1, 4, 1 & 8. 1, 8, 7. 2, 11, 6. 2, 17, 2. 2, 22, 5. 3, 3, 2. 3, 2, 31. 3, 9, 3. 4, 11, 1. 12, 50, 18 & 20. examinatur ſententia Catonis V. 1, 18, 3 & 19, 1. add. 1, 2, 28. in originum libro V. 1, 2, 7. 2, 3, 3. Catonis dictum & oraculum C. 11, 1, 4 & 26. reſponſum C. 6 pr. 4. Cato priſci moris exemplum C. 11, 1, 4. Magiſter Cato *ridicule pro* M. Cato *in MS. Lipſ.* C. 6 pr. 5.
Catulus orator C. 1 pr. 30.
Celſus Cornelius & Julius *vid. bis locis.*
Chæreas Athenienſis V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 8.
Chæreſteus Athenienſis V. 1, 1, 8. *idem videtur eſſe Chreſtus* C. 1, 1, 8. Harduino. *vid. Euphron.*
Chiron C. 1 pr. 32. 10, 348.
Chreſtus *vid.* Chæreſteus.
Cicero Xenophontis œconomicum Latinæ conſuetudini tradidit C. 11, 1, 5. 12, pr. 7, 12, 2, 6. *laudatur* C. 1 pr. 29. 3, 8, 2. 12 pr. 1.
Cleobulus C. 1, 1, 11. *videtur idem qui* V. 1, 1, 9. *Eubolus vel Eubulus vocatur. Suadet hoc varietas lectionis utroque loco propoſita. Suadet quod* Eubulum *ignorat Plinius, qui* Cleobolum *in* γεογραφουμένοις *h. e. in Indice libri IV laudat.* Bolum Mendeſium *hic ex Eubulo format* Reineſius V. L. 1, 25 p. 122. *qui potuit ſententiam ſuam probare J. A. Fabricio viro ſummo,*

magni operis 2, 13 p. 498. *Sed videtur repugnare Reinesianæ conjecturæ primo patria Boli illius, quæ non incognita potuit esse Varroni, cum nota Columellæ fuerit. Hic autem noster, quisquis est, inter eos refertur, quorum ignotæ sunt patriæ. Deinde contradicit ordo elementaris, quem servat hic Varro, quamquam idem etiam* Cleobulo *repugnat, nisi dicamus Græci ordinis ratione adhæsisse* Κλεοβῦλον Lysimacho. *Illud unum apparet, credo, idem nomen & apud Columellam & apud Varronem fuisse.*

Columella (*L.*) *noster*, Gaditanus fuit C. 8, 2, 4. 10, 185. de surculorum generibus C. 2, 11, 1. adversus astrologos scripsit C. 11, 1, 31. de lustrationibus & sacrificiis scribere in animo habuit C. 2, 22, 6. habuit prædium Ceretanum C. 3, 3, 3. Syriæ ac Ciliciæ regiones obiit C. 2, 10, 18. abundavit illi dicendi facultas Veg. pr. 3. *eo respicere putamus etiam* P. 1, 1, 1. laudatur P. 1, 19, 3. 1, 28, 5. Jan. 16. Feb. 9, 14. 10, 4. 15, 1. 16, 1 & 2. 17, 7. 18, 6. 19, 3. 24, 2 & 11. 26, 5. Mart. 8, 1. 9, 9. Jul. 4, 1 & 2. S. 1, 2. O. 3 *it.* 5, 2. 8, 2 *bis.* N. 1, 2 & 3.

Columella (M.), *patruus nostri*, *laudatur* C. 2, 16, 4. 5, 5, 15. 7, 2, 4. 12, 21, 4. 12, 40, 2. 12, 43, 5.

Celsus (*Corn.*) C. 1, 1, 14. *laudatur* C. 1, 8, 4. 2, 2, 15 & 24. 2, 9, 11. 2, 12, 6. 3, 1, 8. 3, 2, 24 *it.* 25 & 31. 3, 17, 4. 4, 1, 1. 4, 8, 1. 4, 10, 1. 4, 28, 2. 5, 6, 22. 6, 55. 6, 12, 5. 6, 14, 6. 7, 2, 2. 7, 3, 11. 7, 4, 8. 7, 5, 15. 8, 13, 2. 9, 2, 1. 9, 6, 2 & 4. 9, 7, 2. 9, 11, 5. 9, 14, 6 & 18. v. Quintiliani judicium 10, 1, 124. 12, 11, 24.

Crates V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 10.

D*Adis* V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 10.

Democritus Abderites, Physicus V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 7. *citatur* C. 3, 12, 5. 6, 28. 8, 8, 6. 9, 14, 6. 11, 3, 61. P. 1, 35, 7. in libro, quem Georgicon appellavit C. 11, 3, 2. in libro περὶ ἀντιπαθῶν scl ἀντιπαθειῶν *potius* C. 11, 3, 64. Democriti sagacitas C. 1 pr. 32. Sub Democriti nomine falso prodita Doli Mendesii commentaria C. 7, 5, 17. *vid. Reines.* V. *L.* 1, 22 p. 92.

Demosthenes C. 1 pr. 30.

Dicæarchus de vita Græciæ V. 1, 2, 16. *it.* V. 2, 1, 3.

Diodorus Prienæus V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9.

Dion Colophonius V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9. *Hic perperam a Plinio* 10, 49 *vocatur* Divon, Clitarchi pater: *nam in Indice diserte vocatur* Dion Colophonius. *vid. Reines.*

nes. V. 1, 2, 6 *p.* 161 *ſq. Schoettg.*

Dionyſius Uticenſis *vid.* Caſſius.

Dionyſius alius V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 10.

Diophanes Bithynius V. 1, 9, 7.

Diophanes Nicenſis V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 10. in Bithynia Magonis libros XX a Dionyſio verſos ad ſex redegit V. 1, 1, 10. ſex epitomas *vocat* Columella l. c.

Dolus Mendeſius *legebatur pro* Bolo *ubi vid.*

Ennius V. 1, 4, 1. 3, 1, 2. in Evhemeri libris verſis V. 1, 48, 2.

Epicharmus C. 1, 1, 8. Syracuſanus pecudum medicinas diligentiſſime conſcripſit C. 7, 3, 6.

Epigenes Rhodius V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9.

Eratoſthenes orbem terræ ut diviſerit V. 1, 2, 3.

Evagon Thaſius V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9.

Eubolus *an* Eubulus *an* Bolus *denique? vid.* Cleobulus.

Eudoxus C. 9, 14, 12. ejus providentia C. 1 pr. 32. *De hoc ſingularem Jo. Andreas Schmidius diſſertationem Helmſtadii habuit* 1775. *Schoettg.*

Evemerus *vel* Evhemerus C. 9, 2, 3 & 4. ejus libri ab Ennio verſi V. 1, 48, 2.

Euphiton an *Euphyton* V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 10. *Non habet* hoc *nomen Bibliotheca Græca Fabriciana.*

Euphorion V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 10.

Euphranii duo, Athenienſis & Amphipolites. V. 1, 1, 8.

Euphron Athenienſis, & Chreſtus Euphronis, non ut multi putant, Amphipolites, qui & ipſe laudabilis habetur agricola, ſed indigena ſoli Attici. C. 1, 1, 8. *idem eſt qui Plin.* 14, 19 *ſcribitur* Euphronius; *ſed in indice hujus libri* Euphron Athenæus, *quo rectum puto. Schoettg.*

Euthronius de apibus fabulam narravit C. 9, 2, 4. Euphranium *conjicitur in indice Fabriciano: certe* Euthronium *non habet* κέρας *illud* Ἀμαλθείας, *in quo ſunt omnia.*

Gargilius Martialis *laudatur* P. Mart. 9, 9. *Reliqua vid. in* Martialis.

Græci citantur V. 2, 1, 28. P. 1, 6, 5 & 9 *it.* 14. 1, 19, 3. 1, 30, 4. 1, 35, 10 & 13. Jan. 15, 13. Feb. 24, 1. 25, 1 & 3, 30. 31, 1. 33. Mart. 4. 11, 6. Apr. 2, 3. Jul. 5. Oct. 9. 24, 1 & 2. N. 1, 3. 7, 3. 10, 12, 1 & 2. 17, 1. 18, 20, 9. 2. 1.

Græcinus *vid.* Julius.

Hamilcar C. 12, 4, 2.

Hegeſias Maronites V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9.

Heraclitus Epheſius C. 8, 4, 4.

Heſiodus Aſcræus V. 1, 1, 9. Bœotius C. 1, 15, 7. *citatur* Vegetius.

C. 11, 1, 29. *verus illius tacito nomine laudatur* C. 1, 3, 6.

Hiero Siculus V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 8.

Higinius: *ita fere scribunt librarii; sed vid.* Hyginus.

Hipparchus C. 1, 1, 4. 9, 14, 12 *bis.* 11, 2, 94.

Hippocrates oppida in peste servavit V. 1, 4, 5.

Homerus vocatur Mæonius ille Deus C. 1 pr. 30. Homericus Melanthius V. 2, 3, 1.

Hyginus, Julius (Higinum & Higinium *fere scribunt librarii*) C. 1, 1, 13. *laudatur* C. 3, 11, 8. 9, 2, 13. 9, 11, 5. 9, 13, 3 & 6. 9, 14, 1 & 18. 11, 2, 83. in libro, quem de apibus scripsit C. 9, 13, 8.

Ischomachus Atheniensis (*persona Socratis potius s. Xenophontis, quam scriptor*) C. 11, 1, 5 & 15. 12, 3, 5.

Julius Atticus C. 1, 1, 14. *citatur* C. 3, 3, 11. 3, 11, 9 & 10. 3, 16, 3. 3, 17, 4. 3, 18, 1 & 2. 4, 1, 1 & 6. 4, 2, 2. 4, 8, 1. 4, 10, 1. 4, 18, 1. 4, 28, 2. 4, 29, 1 & 4. 4, 30, 1 & 3. 4, 33, 4.

Julius Græcinus citatur C. 3, 2, 31. 3, 3, 4 *it.* 7 & 11. 3, 12, 1. 4, 3, 1. 4, 28, 2. de vineis C. 1, 1, 14. 4, 3, 6. v. de eo *Hist. liter. de la France* T. I. p. 163. s.

Julius Hyginus *vid.* h. v.

LÆnius *vid.* Strabo.

Licinius Mænas *an* Menas C. 12, 4, 2. *idemne* V. 2, 3, 11? *si Sylburgium audimus, etiam* V. 2, 11, 10. *ubi* Ticinius *al.* Menas *an* Menates, Mænas, Mænates, *etiam est* V. 2, 1, 1 & 2, 8, 1.

Licinius Nerva V. 2, 4, 1.

Licinius Stolo *vid.* h. v.

Lucilius. Luciliano charactere libelli V. 3, 2, 17.

Lysimachus V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 11.

MÆnas *an* Menas *vid.* Licinius.

Mago Pœnus, rusticationis parens C. 1, 1, 13. qui res dispersas comprehendit libris XXVIII, quod Cassius Dionysius Uticensis vertit libris XX — Hosce ipsos ad VI libros redegit Diophanes cet. V. 1, 1, 10 *quæ partim repetit* C. 1, 1, 10 & 13. *laudatur* V. 2, 5, 27. 2, 5, 18. 3, 2, 13. C. 1, 1, 18. 3, 12, 5. 3, 15, 4. 4, 10, 1. 5, 5, 4. 6, 1, 2. 6, 26, 1. 6, 37, 3. 9, 14, 6. 9, 15, 3. 12, 4, 2. 12, 39, 1. 12, 44, 5 & 6. Arb. 17, 1. P. Febr. 10, 3. Maji. 7, 1. quo primordio usus sit C. 1, 1, 18. *Cic. de Orat.* 1, 58 Num igitur, si cui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico sit, Magonis Karthaginiensis sunt libri perdiscendi?

Mamilii *an* Manilii formula stipulandi capras V. 2, 3, 5. actiones V. 2, 5, 11. 3, 7, 6.
Maro *vid.* Virgilius.
Martialis, Gargilius P. Jan. 15, 10 & 19. Mart. 9, 9. 10, 5. *it.* 16 & 34. Apr. 3, 5. Maj. 6. Jun. 5, 2. Oct. 12, 5 & 7. Dec. 4, 1.
Matius (C.) C. 12, 4, 2. 12, 44, 1.
Menandri duo, Prienæus & Heracleotes V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 9. *vid. Reines. V. L.* 2, 1 p. 127.
Menas *vid.* Licinius.
Menecrates Ephesius versu scripsit V. 1, 1, 9. *citatur* V. 3, 16, 18.
Menestratus V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 11.
Messala orator C. 1 pr. 30.
Meto, Astrologus C. 1 pr. 32. 9, 14, 12. Fuit hic Atheniensis, Astronomus inde maxime celebris, quod annum magnum XIX annorum spatio circumagi statuit, quem *ennεakaidekaetηrida* Græci vocant. Vide Scholiasten Aristoph. Avib. v. 1005. Schol. Arati p. 181. Ald. Manutium de quæsitis per epist. 1. 6. Jac. Nic. Loensem Misc. Epiph. 8. 22. Salmasium ad Solinum c. 37. p. 518, s. *Schoettg.*
Mnaseas Milesius V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 9. 11, 4, 2.

NIcander C. 9, 7, 4. *Cic. de Orat.* 1, 16. Constat, de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum, Nicandrum Colophonium, poetica quadam facultate non rustica, scripsisse præclare.
Nicesius Maronites V. 1, 1, 8.

ORaculum Cretensibus redditum P. O. 14, 13.

PAcuvius V. 1, 2, 5.
Paxamus C. 12, 4, 2.
Pelagonio non defuit dicendi facultas Veg. pr. 1. *laudatur* Veg. 1, 17, 15. ejus pulvis quadrigarius Veg. 4, 13, 3. causticum Veg. 4, 14, 2. collyrium Veg. 4, 27, 3.
Percennius (M.) Nolanus monstravit ut cypressi serantur Ca. 151, 1.
Persis V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 11.
Philometor, Attalus, *ubi vid.*
Piso Italiam a vitulis dictam tradit V. 2, 1, 9.
Plato divinus auctor C. 3, 20, 4 ejus eloquentia C. 1 pr. 30.
Plautus V. 2, 1, 20. in Menæchmis V. 2, 4, 16.
Pleusiphanes, an *Pleutiphanes* V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 11.
Pœni, gens acutissima C. 1, 1, 9. Pœni ex Africa scriptores C. 1, 1, 6. *in his* Mago, Hamilcar.
Poetæ primarii C. 1 pr. 30. veteres V. 2, 1, 6.
Pollio orator C. 1 pr. 30.
Pontifices C. 2, 22, 2 *it.* 4 & 5.
Porcius (M.) Cato *ubi vid.*
Pythagoras Samius negat principium mundi V. 2, 1, 3. Pythagoræ sagacitas C. 1 pr. 32

de Pythagorea brassica *vid.* Ca. 157 pr.

Pythion Rhodius V. 1, 1, 8.

R Hinton V. 3, 3, 9 & C. 8, 16, 4. *non ut auctor aliquis laudatur.*

S *Asernæ* (Hostiliæ *gentis, quod ex numis apparet consularibus*) pater & filius V. 1, 22 & 28. C. 1, 1, 12. *laudantur* C. 1 pr. 32. 3, 17, 4. Sasernæ liber *citatur* V. 1, 16, 5. 1, 18, 2 & 6. 1, 19, 1. 2, 9, 6. C. 1, 1, 4. 1, 7, 4. 2, 13, 7. 2, 14, 1. 3, 3, 2. 3, 12, 5. 4, 11, 1.

Scrofa *vid.* Tremellius.

Seneca vir excellentis ingenii atque doctrinæ C. 3, 3, 3.

Stilo *vid.* Ælius.

Stolo Licinius, *unde cognominatus* V. 1, 2, 9. ejus lex V. 1, 2, 9. *laudatur* C. 1 pr. 32 & 4, 11, 1.

Strabo, (M. Lænius) inventor ὀρνιθοτροφείων V. 3, 5, 8.

T Archon vates C. 10, 346.

Terentius (M.) Varro *ubi vid.*

Terentius in Heautontimorumeno V. 2, 11, 11.

Thales Milesius dixit fuisse principium generandi animalium, quod negavit Pythagoras V. 2, 1, 3.

Theophilus V. 1, 1, 9. C. 1, 1, 11.

Theophrastus Peripateticus V. 1, 1, 8. C. 1, 1, 7. *citatur* V. 1, 7, 6 & 7. 1, 37, 5. 1, 40, 1 & 3. φυτῶν ἱστορία & φυτικῶν αἰτιῶν complures libri V. 1, 5, 1.

Timæus histor. V. 2, 5, 3.

Tremelliis unde Scrofæ cognomen V. 2, 4, 2.

Tremellius (*Cn.*) Scrofa peritus agricola V. 2, 1, 2 & 11. C. 1 pr. 32. exercitum duxit in Gallia transalpina V. 1, 7, 8. eloquentem agriculturam reddidit C. 1, 1, 12. *citatur* C. 1, 1, 1 & 6. 2, 1, 2. 2, 5, 8. 2, 10, 8. 2, 14, 3. 3, 3, 2. 3, 11, 8. 3, 12, 5. 5, 6, 2.

Triptolemus C. 1 pr. 32.

V *Arro* (*M. Terentius*) agriculturam expolivit C. 1, 1, 12. *add.* C. 8, 10, 6. suos Corcyræ a peste servavit V. 1, 4, 5. 1, 7, 8. Græciæ classibus præfuit V. 2 pr. 7 habuit pecuarias magnas *ibid.* & 2, 1, 3. ejus uxor in Sabinis fundum habuit, ipse in Vesuvio V. 1, 15. *citatur* C. 1 pr. 15. 3, 3, 2. 3, 9, 3. 5, 1, 5. & 7, 6 pr. 7. 6, 37, 3. 8, 8, 9. 8, 16, 4. Varro rerum rusticarum libro primo C. 3, 3, 2.

Virgilius Maro carmine rem rusticam tractavit C. 1, 1, 12. compellatur C. 1 pr. 30. *citatur* C. 1, 3, 8. 1, 4, 4. 2, 2, 4 & 18. 2, 8, 1 & 3. 2, 9, 12. 2, 10, 11. 2, 14, 3. 2, 22, 2. 3, 1, 1 & 9. 3, 2, 29. 3, 9, 4. 3, 10, 17 & 19. 3, 12, 5. 3, 15, 4. 3, 21, 4. 4, 11, 1. 5, 4, 2. 6, 27, 5. 7, 1, 3. 7, 2, 2. 7, 3, 1 & 9 *item* 3 & 24.

7, 4, 6. 7, 5, 5 & 10, 7, 6, 2. 8, 17, 7. 9, 2, 1 it. 3 & 5. 9, 3, 2 & 4. 9, 4, 1. 9, 5, 4 & 5. 9, 7, 5. 9, 8, 13. 9, 9, 4 & 6. 9, 10, 2 ter. 9, 14, 6. 9, 15, 1. 9, 1, 31. 11, 3, 1. Arb. 1. 1. P. F. 25, 6. Veg. 1, 58, 36. sidereus vates C. 10, 434. Mantuanus poeta divino ore testatur Veg. 1 pr. 8. Bucolicis C. 3, 9, 4. in Bucolico poemate C. 7, 10, 8. ejus Georgica expleta C. 10 pr. 3. C. 10, 5.

Vopiscus *vid.* Cæsar.

X*Enophon* Socraticus V. 1, 1, 7. & 8. ejus Œconomicus a Cicerone Latino sermoni traditus C. 11, 1, 5. 12 pr. 7. 12, 2, 6 *citatur* C. 11, 1, 15. 12 pr. 1.

ZEno Cittieus ait fuisse principium generandi animalium V. 2, 1, 3.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆSTANTIORUM EDITIONUM SYLLABUS.

I.

CATO, VARRO, COLUMELLA, PALLADIUS.

1470 fol. Venetiis per Nic. Jensonum, Gallicum, recensente Georgio Merula. (Editio prima.)

1472 fol. Venetiis, Nicolao Throno Duce Venetiarum inclyto, per eundem Jensonum. (Hanc habuit ad manus Cl. Pontedera).

1482 fol. Regii (Lepidi), opera & impensis Bartholomæi Bruschii, aliter Bottoni Regiensis. (Usus est ejus lectionibus Roma sibi missis Cl. Pontedera).

1494 fol. Bononiæ, impensis Benedicti Hectoris Bononiensis, Joanne Bentivolo. II reip. bono habenas feliciter moderante. (Consentit cum Jensoniana).

1514 4to. Venetiis apud Aldum; iterumque 1533.

1515 8vo. maj. Florentiæ opera & impensa Philippi Juntæ, ex recognitione Nic. Angelii; iterumque 1521.

1535 8vo. Lugduni apud Sebastia. Gryphium.

1536 8vo. Coloniæ apud Jo. Gymnicum cum Ge. Alexandrini & Beroaldi explicationibus & enarrationibus.

1541 8vo. Lugduni apud Gryphium voll. 2. (In primo sunt Cato & Varro, qui in titulo dicuntur *per Petrum Victorium ad veterum exemplarium fidem restituti:* in altero Columella & Palladius.)

1542 8vo. Lugduni ap. eundem Pe. Victorii Explicatio suarum in Catonem, Varronem, Columellam castigationum separatim edita.

1595 8vo. ex Hieron. Commelini typographio, curis Frid. Sylburgii.

1735 4to. Lipsiæ apud Casparum Fritschium, voll. 2. curante Jo. Matthia Gesnero, nunc primum adjecto VEGETIO; & ib. 1773 a Jo. Augusto Ernesto recognita, ex qua hæc nostra.

II.

CATO ET VARRO.

1521 8vo. Basileæ apud Adamum Petri.

1526 8vo. ibid. curante Theodoro Zuingero, qui Catonem dedit ex recensione Victoriana, ex Scaligeriana Varronem.

III.

CATO SOLUS *cum fragmentis aliorum librorum.*

1590 8vo. Lugd. Batav. ex officina Plantin. cum notis Antonii Popmæ.

1598 8vo. ibid. adjectis notis Jo. Meursii.

1620 8vo. Franequeræ sumptibus J. Commelini viduæ. Accedit Popmæ liber *De Instrumento fundi.*

IV.

VARRO SOLUS, *cum reliquis libris & fragmentis.*

1569 8vo. apud H. Stephanum, cum notis Victorii & Scaligeri; iterumque apud eundem 1573, & 1581.

1601 8vo. min. Lugd. Bat. apud Christo. Raphelengium edente & recesente A. Popma cum suis notis. (Hac editione usus est Cl. Pontedera).

1619 8vo. Durdrechti ex Offic. Jo. Berewout. (Convenit cum Stephanianis).

1623 8vo. Amstelod. apud Jo. Jansonium.

V.

COLUMELLA SOLUS.

—— 8vo. Argentor. (absque anni & typogr. indicio.)

1543 4to. Francofurti.

1549 4to. Parisiis ap. Morellium.

VI.

PALLADIUS SOLUS.

1536 4to. Parisiis, apud Lodoicum Toletanum, e regione Collegii Remensis. (In fine scriptus annus 1529: uter verior? Hæc editio consentit cum Aldinis).

VII.

V E G E T I U S.

1528 4to. Basileæ excudit Jo. Faber Emmeus Juliacensis. (Editio prima).

1574 4to. Basileæ per Pe. Pernam, opera Jo. Sambuci Pannonii.

Vitia nonnulla, quæ in hunc tomum irrepſerunt, ſic eximenda ſunt.

Pag. 43	lin.	13	Spaciam	Sparciam
78	Var.	1	*&*	*eadem*
165	Var.	2	S.	*Si*
169		17	Et	Eſt
177	Var.	1	Coliculas	Coliculos
239	Var.	2	noſtrate	noſtratem
262		12	defendunt	defundunt
290		19	generationis	generationi
339		14	FUMALIS	FUNALIS
351		19	reliquunt	relinquunt
Ibid.		23	FURCILÆ	FURCILLÆ
360		ult.	*Muctralia*	*Mulctralia*
370		14	focari	focarii
380		12	*ornatiſſime*	*ornatiſſimæ*

Digitized by Google

S.N.VI.1

Digitized by Google